POESIE
LIRICHE
TOSCANE, E LATINE
DI D. VIRGINIO
CÆSARINI.

VIRGINII
CÆSARINI
CARMINA
Antonio Bosio Fecit

2

VIRGINII CÆSARINI CARMINA.

Illuſtr.mo ac Reuer.mo D D.
NICOLAO PETRONIO
De Comitibus Caldana Epiſcopo Parentino Comitiq;
Vrſarię,



VENETIIS, M.DC.LXIX.
Apud Hęredes Franciſci Storti,
et Io: Marię Pantirutti.

ILL.mæ AC REV.mæ DNE.

PRODEVNT in lucem meis excuſsę typis latinæ Poeſes Virginij Cæſarini, tuo iuſcriptæ nomini Illus.mę ac Reu.mę Præſul. Sed caſtigatius eloquar lucubrationes haſce Poeticas iam per ſe in lucem eductas, et æternitati ipſis in Natalibus mancipatas communi literarum bono tuis auſpicijs, Illus.mę Antiſtes, publicę Iuris facio. Et ſane cuius illas Patrocinio dignè committerem ſolus Tu mihi occurriſti. Tu non tàm illuſtris generis auito ſplendore, quàm ſingularibus animi dotibus blandiſſimè Cæ-

ſarinum excipies, illumque pari Virtutis, & Patritij ſanguinis ſimilitudine habebis chariorem. Si .n. de primaria tui Nominis amplitudine, antiquiſſima a ſtirpe deriuata pauca deſumere licet, quis Petroniam Domum ex puriori Veterum Quiritium ſanguine deductam, et nunc temporis Romæ ſuperbiſſimè efflorentem ignorat? quæ non vna tantum Romana in Vrbe contenta conſidere, pulcherima generis germina per inſigniores Europæ Prouincias veluti gentilitias in Colonias propagauit, et in familiam quoque tuam, ac in te ipſum, veluti in alueum gloriæ ſuæ demùm ſplendidiſſimè influit. Domeſtici Faſti ſpecioſiſſimo Comitis Titulo a Ser.ma Rep.ca adaucti; Tu et Gētiles tui equeſtri Carniolæ Ducatus ordini ab Auguſto Leopoldo Cæſare adſcripti, ipſique Nobi-

litati

ſitati Theutonicæ donati abunde teſtantur, te exteram quoque Nobilitatem non extorſiſſe, ſed meruiſſe, teque vnum ſummorum Principum calculo dignum eſſe, quem omnium Gentium Vota optent in Ciuem. Ex tàm vetuſta claritudine eductus nequè vero ignobili in otio latuiſti, ſed ingenium nullis incluſum ſpatijs politioribus literis, et amænioribus Muſis prius excultum per omnia reliquarum diſciplinarum genera libere euagari permiſiſti. Quod .n. ad Poeſim attinet, quo vno potiſſimum nomine præter alia, Cæſarinum tibi ſingulariter acceptum fore non dubito, adeò facilem ad Poetices amænitates accommodas animum, vt dubitari non poſſis natus Apolline non irato; & Poeſis ipſa ità tibi connaturalis, vt videri in te poſſit altera Natura. Neque ſolis Muſis vacare in

deli-

delicijs fuit, ſed in ſeuerioribus quoque ſtudijs operam conſtantiſſimè pertinacem adeo feliciter contuliſti, vt nulla ſit liberalis facultas, quæ in te cohoneſtando locum non vendicet. Teſtem appello Nobiliſſimum litterarum emporium, Patauinũ Archigymnaſium, Auguſtale illud ſcientiarum omnium, cuius litteraria in arena adeo egregiè deſudaſti, vt vnica tuo Capiti laurea non ſuffecerit, ſed duplici, quod rarum eſt, merueris inſigniri. Ecquid mirum ſi vtriuſque Vniuerſitatis ampliſſimo in lyceo, moderamen adeptus, (cum vni tantùm validos humeros ſupponere quis reformidet) vtriuſque regimen Virtute par, diſpendio non impar, præſenti animo, ſolerti conſilio, opera, et opibus adeò ſolerter ſuſtinueris, ac ſplendidè, vt in ardua Prouincia flagrantiſſima Principis gratia ſemper be-

nè

nè vſus, de priuata quoque optimè ſemper audiueris? Quid mirum ſi iſto in puluere poſitis Ciuilis Prudentiæ Tyrocinijs, redditum Patriæ Patria ipſa priuſquam per ætatem liceret, non ſecundis honoribus plena manu congeſtis adornarit, et ſumme Vrbanarum rerum te admouerit? raro Ciuibus exemplo, et documento, non expectandum eſſe complementum ætatis in præcocis anticipatione Virtutis. Quid mirum ſi Patrios egreſſum fines, quò tua Virtus impatiens vno in ſolo coarctari Te magis, quàm tua Fortuna vocabat, publicæ Aulæ luci expoſitum Emin.mus Carolus Caraffa (in quẽ cuicumque põderi ſuffecturum Romanus Alexander dum tũc temporis chriſtiano orbi præeſſet, terrarum curam reclinarat) ſiuè cum per ſeptennium Nuncius Apoſtolicus penès Cæſarem dege-

degeret, ſiue Bononiæ inter Purpuratos Vaticani Patres adſcriptus Legatum ageret, Te vti limatiſſimi, & cordati ingenij virum rebus grauiſſimis præpoſuerit, et tuam expertus prudentiam, fidem, dexteritatem, ac indefeſſam operoſæ mentis indaginem difficillimis quibuſcumque negotijs non ſine publicæ vtilitatis fænore vbique præfecerit? Hinc Curiæ vnice charus, cunctorum ordinum ardentiſſimis ſtudijs euectus, ſummorum Procerum, ac Principum animos arctiſſimè tibi deuinxiſti; Hinc florentiſſima Auguſti Leopoldi Cæſaris gratia benigniſſimè exceptus domeſticos penates nouo Titulorũ fulgore nobiliraſti; hinc ab ipſo S.mo Alex. Romanæ militiæ Præfectus Eccleſiaſticorum armorum in Tergeſtina Vrbe Commiſſarius Gallicis in tumultibus renunciatus, & ad obeun-

obeunda legationis munera ad'Italiæ Dynaſtas Bononienſi Ditioni cõterminos pro firmando cũ Pontificijs Romanæ Prouinciæ legatis mutuæ beneuolentiæ fœdere ſelectus, ſumã rerũ agendarum imbutum peritia, et ad glorioſa quæque facinora ſemper erectum animum abundè demõſtraſti. Tot grauiorum, et amæniorum ſtudiorum adoreas, tot publicorum munerum laudes, ſumma ſemper vitæ integritate cohoneſtatas, lauream denique tot triumphis repetitam Parentina Infula excepit; qua dignitate inauguratus tot ingentia religioſi animi bona explicas, vt plus dignitati adieciſſe videaris, quàm hauſeris, ſacrumque Apium, ac Lituum reddideris auguſtiores. Reliqua innumera miſſa facio; per laudes .n. tuas diſerte excurrere, et iuſtam panegyrim adornare tantum abeſt ab inſti-

tuto

tuto meo, quantùm à modeſtia tua. Decora equidem tua nè delibaui quidem, nè dùm Virtutes ſingulas, quæ Te orbi commendant, agnoſco, vnam ignorare videar moderationem.

Redeo ad propoſitum meum. Nouæ huic Cæſarinarum Poeſium editioni Patronum parare, præſidiumque, ac decus addire honeſtum mihi, atque decorum duxi, vel vt hoc ſaltem officio eximiam meam in Te voluntatem publicè textatam relinquerem. Huius vtinam obſequij mei præmium mihi ſors ferat, vt illud æqui bonique conſulas, Cęſarinum, qui de omniũ iudicio ſecurus eſt, cùm probatus eſt tuo, incliente-lã aſſeras, meque tuæ iam diù addictum tutelę ſolitis foueas ſtudijs humanitatis.

mę mę
Ill. et Reu. Dñationis Tuę.

Venet. Kal. Mar. 1669.

Humil Deuot. ac Obſer. Ser.

Io: Maria Pancirutti.

L E-

LECTOR.

IRGINIUM Cæſarinum omnis liberalis ſcientiæ Virum, & magno, excelſoque præditum ingenio fuiſſe, conſtans quidem hucuſque fama fuit, ſed tantùm per manus tradita, nullis teſtata monumentis. Hæc ne omnino deeſſent, iuris publici fecimus carminum aliquot, quæ ipſe, cum remitteret animum à ſeuerioribus ſtudijs, faciebat. Libuit hoc loco vſurpare veterum Artificum formulam; quia Virginius octauo inualitudinis ſuæ, vndetrigeſimo ætatis anno ſublatus, imponere carminibus ſuis minimè potuit extremam manum. Cæterum ea laudare ſuperſedemus, vt totam hanc partem illorum iudicio integram relinquamus, quibus neceſſitudo eſt cum Romanæ, Etruſcæque Poeſeos

Prin-

Principibus, & Magiſtris. Lector candide, Poeta candidiſſime verſus lege, & ex his coniecturam facito de cæteris, qui eius ingenij fœtus extarent, niſi mors non tam ipſi Virginio, quàm bonis literis peracerba, maturioris ætatis fructus intercepiſſet. Vale.

Noi Reformatori dello Studio di Padoua.

HAuendo veduto per atteſtato del Segretario Noſtro, nel Libro ſtampato in Roma Intitolato Virginij Cæſarini Carmina, non eſſerui coſa alcuna contro Prencipi, e buoni coſtumi, concedemo licenza agl' Heredi di Franceſco Storti di poterlo ſtampare; oſſeruando gli ordini, &c.

Dat. a' 5. Nouembre 1668.

(Aluiſe Contarini Cau. Proc. Ref.
(Angelo Correro Proc. Ref.
(

Angelo Nicoloſi Segret.

VIR-

VIRGINII CÆSARINI VITA.

QVAE de Virginij Cæsarini ingenio, moribus, studijs, disciplina, fortuna, totoque vitæ cursu, non ab rumore vulgi, neque à Rhetorum laudationibus accepimus, sed à viris grauibus, & ab omni affectu liberis, qui adhuc supersunt, quique Virginium vsu quotidiano cognitum habuerunt; ea nos, sicuti narrata, acceptaque sunt, simpliciter, pro nostra, & argumenti natura, fideliterque trademus.

Natus est Romæ die xx. Octobris anno MDLXXXXV. patre Iuliano Ciuitatis Nouæ Duce, matre Liuia Virginij Vrsini filia. Vtriusque autem parentis genus, generisque dignitas & potentia clariora sunt, quàm vt Scriptoris operā, lucemque desiderent. Fratres habuit; maiores quidem natu Ioannem Georgium, qui Patri in Ducato successit, & Alexādrum, qui postea Cardinalis creatus est ab Vrbano Octauo; minores autem Ferrantem vtriusque Signaturæ Referendarium, ac Petrum militem Hierosolymitanum. Propinquitatibus verò multis, magnisquè floruit, à matre præsertim. Nam præter Vrsinam gentem, Beatrix, Cornelia, & Catharina.

pti officium assidebant, quorum quidem viuendi ratio & institutum adeo Virginio arriserant, vt non semel de illorum amplectenda militia cogitarit: eamque animi illius propensionem perpetuam, atque constantem postea aperuit vltima ipsius voluntas, qua Ignatiano habitu efferri se velle cauit in testamento. Ea curatio cum post mensem vndecimum exitus tandem prosperos habuisset, eosque iam progressus feciſſet in literis, quos operæ pretium esset in aspectum, lucemque proferre; Romam, ineunte adolescentia, Virginius reuertit, vbi magnum sane virtuti suæ theatrum inuenit paratum. Nam ingens hominum animos cupido incesserat videndi cominus, & periclitandi ingenij, de quo tam multa, tam præclara omnium sermone afferebantur: erantque non pauci, qui suspicarentur, in adolescentulo primariæ nobilitatis, & morum formæque elegantia commendatissimo, efferri plus æquo omnia: itaverò solere fieri, vt qui alijs in vrbibus maximo in pretio essent, & laude ingenij cæteros mortales anteirent, Romæ ita decrescerent, vt vix aliquo in numero haberentur. Virginius tamen aduentu suo ita confirmauit rumores, qui de ipsius virtute, atque ingenio percrebuerant, vt nihil iam in Vrbe esset eius nomine clarius, essentque in eum, tanquam in aliquem ex veterum annalium memoria, conuersi animi, & studia Ciuitatis. Siue enim priuatis eruditorum colloquijs de re literaria sermo esset; siue in scholasticorum, quos vocant, arenam descenderetur; magna vbique eius doctrina, magnum acumen, & fertilitas ingenij eminebat. Hæc autem efficiebat etiam gratiora præter generis claritudinem suauitas oris, formæque dignitas. Quibus accedebat actio efficax, & sonus vocis elegans, & ad aurium voluptatem accommodatus: ingenuus præterea

qui-

quidam pudor, & candor animi, pari cum humanitate erga omnes, & facilitate naturæ. Nam ad id quidem quòd pertinet, extat inter eius ſcripta Satira elegans, quacriter carpit, vel potius irridet nobilium quorumdam inſcitiam, qui exiſtimationem dignitatemque nominis, quam ſolidis ornamentis, ac vera virtute non poſſunt, oſtentatione generis ac potentiæ,& inſolentis animi faſtu conſequi volunt. Nec parum momenti habebat ad plauſum laudemque Virginio conciliandam, ſenilis quædam in primo ætatis flore maturitas, non illa quidem auſtera, ac triſtis(nam hilariora nonnunquam conuiuia, & congreſſus amabat, eratque in iaciendo, mittendoque ridiculo perurbanus) ſed quæ adoleſcentem deceret literis impensè deditum, & ab inſita animi generoſitate non fluxa, & præſentia, ſed ad memoriam illuſtria,& æterna reſpicientem. Ferunt,cum ab æqualibus ad inſigne ſpectaculum inuitaretur, quod totius Vrbis concurſu celebrabatur, ſe vero id facturum negaſſe, nec eo ſe crimine velle adſtringere, vt quo temporis ſpatio poſſet Olympicis, Nemeæis, Circenſibus ludis, &, ſi liberet, etiam Floralibus, ſine vllo incommodo aut ſtrepitu domi ſuæ intereſſe, mallet imperitorum artificum nugis, quantumuis sũptuoſis, inter tumultus & vulgi anguſtias, oculos atque animum proſtituere. Maximos præterea clamores excitabat memoria, qua ita Virginius pollebat, vt integras ſæpe Scriptorũ paginas,pro re nata recitaret,& vbi intereſſet publicis diſputationibus(intererat autẽ ferè quotidie,certatim inuitantibus ijs,quorum ea ſolemnitas erat,quò tãti Viri præsẽtia illuſtrior fieret) eſſetque vel eleuãdũ aduerſarij dictum, vel ſuum confirmandum,ſexcenta Ariſtotelis loca proferret ex tem-

pore,ijſdem pene verbis quibus reddita fuerãt ab interprete: nam Græca adducere,nec moris eſt apud noſtros homines,& ipſe (inſtitutum enim tenebo,nec alios patiar falſas Virginio laudes appingere)nõ niſi leuiter attigerat Græcas literas. Itaque cũ acerrimo ingenio parẽ memoriã,quod perrarò accidit, ſortitus eſſet,& tempus omnes.quod reliquum eſſet ab officijs ad tuendam vitam neceſſarijs, tereret in commentationibus.& tractatione librorum;breui omnis recõditæ,exquiſitæque doctrinæ ſcientiam ita comprehendit, vt admirationi eſſet vniuerſis, nec iam ſe intra Italiã contineret illius gloria, ſed mare & Alpes præteruecta longè ſe ad vltimas terras,latèque diffunderet.Cardinalis quidem Bellarminus,quem Virum parum conſideratè quicquam, aut ad aſſentationem dixiſſe, vel feciſſe vnquam nefas eſſet ſuſpicari,ſolitus erat dicere,videri ſibi Virginium alterum Picum Mirandulanum, eum qui ob excellentiam ingenij,& doctrinæ,phœnix eſt nũcupatus.Quod ſanè dictum,& probabatur in vulgus,& vtriuſque genus,mores,formã,ingeniũ,ſtudia, exitiũ ipſum vitæ ex æquo cõparãti haud multũ abſonũ à vero reperietur.

Idem Cardinalis Virginio author fuit,vt tantam rerum optimarum ſcientiam,ingenijque præſtantiã,quæ ſibi diuinitus contigiſſem.ad ipſius Dei gloriam.& generis humani fructũ conferret,ſcribẽdo librum,in quo vberioribus argumẽtis,quàm ceteri feciſſent,magiſque ad ſenſum permanantibus, omnẽ dubitationẽ tolleret de immortalitate animorum, ad reuincendam illorum pertinaciam, qui ſacrarum literarum teſtimonio hac in re minimè acquieſcerent. Et ſanè multa in id argumentum Virginius iam collegerat, colligebatque in dies, quò omnia ſuo tempore rectè & ordine digeſta luculento volumine complecteretur;niſi præmatura poſtea

ſtea mors egregium opus, quemadmodum alia multa, quæ moliebatur animo, intercepiſſet. Inter hæc nõ neglexit Iuris quoque ſcientiæ, cuius cõſultus fuerat Parmæ ſolemniter appellatus, operã dare, coacto etiã ſtylo, quo cæteroqui caſtigato vtebatur, accõmodare ſe formulis corruptæ Iuris prudentiæ. Verumtamen longè maior illum voluptas ad mitia Muſarũ ſtudia, & flagrantior cupido rapiebat, hominẽ præſertim non tàm honorũ & potentiæ, quibus vulgares animæ vſque ad inſaniã capiuntur, quàm laudis & gloriæ, qua magnæ mentes & erectæ imprimis ducũtur, appetentiſſimum. Quamobrem, valere tandem iuſſis Leguleiorũ, forique clamoribus, iterum ſe liberalioribus literis totũ tradidit, Theologicis præſertim, ac Philoſophicis: quarum primas cum ſacræ hiſtoriæ, Canonum, Conciliorum, ac Patrum cognitione coniunxerat; in vltimis verò, Doctore & Magiſtro Auanzino, de quo ſuprà memoraui-mus, ita vſque ad illud quidẽ tempus Peripateticorum ſectæ adhæſerat, vt ab eorũ placitis vel latum vnguem diſcedere religio illi eſſet. Verùm vbi verſari familiarius cœpit cũ Federico Principe Cæſio, eiuſque authoritate & conſilio in amicitiam ſe dedit Galilæo, Ioanni Ciãpolo, alijſque eius diſciplinæ hominibus, qui è cœlo ſe deuocaſſe gloriabantur veram ac germanam philoſophiam, hoc eſt aliam planè ab ea, quam Ariſtoteles tradidiſſet; primò quidem obluctari acriter eorum dictis, deinde vbi quotidianus ſermo argumenti inſolentiam cicurauit, haud grauatè aures, poſtremò etiam manus dedit. Itaque veteris militiæ deſertor & trãsfuga, vt ſunt Iuuenum ingenia cupida rerum nouarum, tranſitum fecit ad caſtra Lyncæorum (id nomen Academiæ fuit) quorum erat inſtitutum inuſitata rerum euenta, quæ terris, quæ cœlo acciderent, in diſputatio-

nem vocare; cauſas ſedulò indagare, & eorum obſer-
uationibus, alijſque experimentis, veterem omnem
philoſophiam, Ariſtotelicam imprimis euertere. Ex eo
numero qui eſſet, quaſi familiæ ſuæ teſſeram ambitio-
ni vocabuli conuenientem, geſtabat digito annulum,
lynce inſculptũ, quo ſignificabatur, eſse eos in riman-
dis naturæ arcanis perſpicaciſſimos. Hæc porrò Acade-
mia authorem habuit eum, quem diximus, Federicum
Principem Cęſium, literarum amatorem potius, quàm
peritum, manſitque tamdiù, quamdiù vixit author
ſuus, qui illam quaſi ſatam a ſe arborem omni officio,
induſtriaque colebat. Verùm eo mortuo, cum Acade-
mici nullas haberent certas ſedes, nec cæterarum Aca-
demiarum morem ſequerentur, ſtatis diebus in vnum
conueniendi, ſed vnico nominis ſplendore, & annuli
myſterio omnis eorum diſciplina continerentur; breui
Lyncæorum memoria ita extincta eſt, vt eorũ ad æta-
tem hanc noſtram vix tenuis aura peruenerit. Præter
Galilæum, & Ciampolum, coluit quoque Cynthium
Clementem eidem ſectæ addictum, & inſignem ea tem-
peſtate Medicum. Ab eo Virginius Chimicis ſacris ini-
tiatus verſari cœpit attentius in eius artis experimen-
tis, quibus præcipue Ariſtotelis fundamenta conuelli
putabant. Eaque ipſa experimenta conuertit poſtmo-
dum à deſtruẽdis Peripateticorum placitis, ad fulcien-
dam valetudinem ſuam, quæ iam & aſſiduo labore in
ſtudijs & habitu corporis gracili, propenſoque ad ma-
ciem in deterius quotidie prolabebatur. Verùm hic
quoque conatus, ſicut alia multa quæ periclitatus fue-
rat medicamenta, irritus fuit, in dies magis magiſque
ſuperante vi morbi. Cuius rei cum omnem culpam,
vitio generis humani, conferret in inſcitiam Medico-
rum, inuehi vehementer ea occaſione ſolitum ferunt

in

In infanſam temporum noſtrorum, quibus Ars illa, cui valetudinem noſtram vitamque credimus, tanquam humilis & plebeia, digna iudicaretur, in qua illi ferme elaborarent, qui nullas vererentur violare maiorum imagines, quique tenuitate plerumque rei domeſticæ prohiberentur operam dare ſtudijs ac diſciplinis ad eam probè tractandam neceſsarijs; inſtrumenta, fundi, paſcua, nomina, ſupellex, a viris honeſtiſſimis patricijſque vendicarentur. Igitur cum alterius cœli præſidium, reliquis omnibus fruſtra conſumptis, experiri conſtituiſſet, Bononiam iter intendit, non quòd ſitum illius vrbis maximè opportnum duceret valetudini ſuæ, placidum alioqui temperatumque cœlum deſideranti; ſed quod in Bononienſi Gymnaſio mereri ſtipendia dicerentur Medici præſtantiſſimi, nec deeſſent literati viri, ſine quibus, vt cætera adeſſent omnia, videbatur ſibi Virginius in ſolitudine, luctuquè viuere. Sed interceptus in itinere ab amantiſſimo ſui Principe Cæſio, Aquamſpartam Cæſiæ gentis oppidum propè Spoletum diuertit, manſitque ibi aliquot dies magna, quantum quidem per inualetudinem licuit, cum voluptate. Quippe Federicus, quò libentiorem illic Virginium retineret, Bononia accerſierat, præ cęteris, Claudium Achillinum, Philoſophum ac Poetam, opinione quidem omnis Ciſalpinæ Galliæ, maximum, & Petrum Poterium rei Chimicæ egregium artificem, quibuſcum alternas horas hilarè, ac iucundè tranſigebat. Ac breui tantum de veteri ſua ſæuitia morbus remiſerat, vt vox etiam, quam pituitæ, vel alterius cuiuſuis humoris defluuio vlceratæ fauces iam olim intercluſerant, ad officium rediret, vt Elegia quadam ad Cynthium Clementem inſcripta ſibi ipſi effusè gratu-

latur.

latur. Nam cæteris eius virtutibus non leui ornamento erat mira indoles, & dexteritas ad Poesim, præcipuè latinam, in qua Tibullum, Propertiumque eruditorum iudicio feliciter expressit elegiaco carmine. Italicis etiã numeris se exercuit, adductus consuetudine Ioannis Ciampoli, qui eo præcipuè ornamento aditum sibi ad laudem, & ad potẽtiorũ limina patefecerat Sed quamuis Virginius profiteretur, maximè omnium probari sibi Ciampoli venam, & characterem, longè tamen diuersa via vterque illorum ibat ad carmen. Virginius æquabile, & temperatum sequebatur scribendi genus, perspicuum, graue, simplex, quod seriò rem ageret, & in quo Latij veteris incessum facilè agnoscere: in Ciampolo liber spiritus, noua omnia, concitata, grãdia, inaudita, plena periculi, & audaciæ ad Pindarum aspirãtis, quæ propterea omnẽ ad se raperent admirationẽ theatri. Quam scribendi rationem perperã imitati postea, qui se Pindaricos dici volunt, in tã absurdos errores inciderunt, vt ex plurimis, quæ aliquot ab hinc lustris irrepserunt in Rempublicã literariam hæreses, nulla, vt viri quidẽ sapientes iudicant, fœdius Italicæ Iuuentutis ingenia corruperit. In his, quæ scripsit materna lingua, multa reperiuntur etiam amatoria, satis pro argumento verecunda & sobria, quæ tamen Author postea improbauit, tanquã imbecilla adhuc ætate scripta: & superat eorũ numerus, quæ hominẽ philosophum, & à vulgi erroribus alienum magis decẽant, quæque Christiano Poeta digniora videri possint. Qua etiam in re secutus est Ciampoli authoritatem suadentis, honestissimam secũ prouinciam susciperet, ad meliorem frugem, moresque reuocãdi Etruscas Musas, quæ, nonnullorum vitio, nihil iam sancti, aut casti haberent, sed cuiusuis è vulgo libidini prostitutæ in obscœnis tantùm,

tùm, & procacibus argumentis occuparentur. Virginius itaque à iuuenili licentia ad grauiora stylo conuerso, moralis Philosophiæ præcepta, quod nemo adhuc ante ipsum ex proposito fecerat, aggressus est carminibus tradere, vt etiã profitetur Ode illa, quæ Proemium inscribitur Et quia ad informandos optimis moribus animos, duplici præcipue via, ac ratione niti oportet: ad honesta videlicet incitãdo illos, & reuocando à turpibus; vtramque Virginius complexus est: illam quidem pluribus Odis (cantiones nostri vocant) ad varios amicos inscriptis; hanc verò nonnullis Satiris Lucilliano aceto perfusis, in quibus ætatis suæ vitia perstrinxit acriter; quandoque etiam personis potentia, vel dignitate illustribus, qua erat animi libertate, ac spiritu, in os inuolare nõ dubitauit; sed animi tantùm gratia, & experiundi eo in argumẽto ingenij, non quòd vlli mortalium inuri notã suis carminibus vellet. Cæterũ quò fideliorẽ literis suis operam daret, in superiorem paternæ domus contignationẽ secesserat; nec eò quemquam fere admittebat, præter illos, qui pari erga Musas animo essent, paribus studijs ducerentur. Hos enim ad se venientes omnibus humanitatis officijs excipiebat: cũ his differere, lectitare, conuiuari, deambulare, dies integros commorari: cum eisdem cõmunicare lucubrationes suas impensè prius rogatis, diligẽter animaduerterent, & si quæ minus probarent, atroci stylo effoderent Quorũ quidẽ nonnullos aliena ope, & præsidio indigentes aluisset etiã domi suæ, vt solebat sæpe desiderare, si per tenuitatem rei domesticæ licuisset. Verùm cum bonorum paternorum summa vnã cum Ducatu Ciuitatis Nouæ in Picenis, alijsque in agro Latino oppidis, ad grandiorem natu fratrem, more apud nobiles familias recepto, peruenisset; ipse tertio loco genitus

nitus eam pecuniam annuatim percipiebat, quæ cùm per ſe ipſa ſatis exigua erat, tum vero parum attentè adminiſtrata, vt ij faciunt, quibus ſeriò occupatis in ſtudijs literarum, ingrata omnino, atque odioſa accidere ſolet rei familiaris procuratio, ægrè in annuos ſumptus ſuppeditabat. Quò fiebat, vt graui ſe nonnumquam ære alieno obligaret, quod poſtea Dux ipſe ad arcendam notam, quæ in ſe etiam redundaſſet, moleſto quidem animo, ſed exſoluebat tamen. His anguſtijs vt obuiam aliquando iret, litem cum eodem Duce inſtituerat, qua petebat, vt liberalior ſibi in ſingulos annos penſio decerneretur, prout vltimis illis temporibus maior facta fuiſſet acceſſio ad patrimonium Cæſarinæ familiæ, ad cuius facultatem reſpexiſſent Maiores ſui, cum ſecundo loco genitis annuos præſcriberent reditus. Sed Mapheus Cardinalis Barberinus, quem ingenij, ac ſtudiorum ſimilitudo Virginio, quamuis longè natu minori, familiariſſime coniunxerat, ei perſuaſit, vt omni contentione ſublata, quietè cum fratre, & concorditer viueret; quòd ita deceret præclarum virum, eaque eſſet certior ratio extorquendi ab illo pecuniam. Eo interim in ocio, & quaſi malacia literarum, non licuit Virginio viuere, ipſum inter Cubicularios intimos cooptante Gregorio XV. opera Ioannis Ciampoli, qui Pontificio nomine exarabat epiſtolas ad Principes. Is vbi ad illum honoris gradum eſt admotus, nihil habuit antiquius, quàm vt ſignificationem aliquam Virginio daret grati animi, & beneficiorum memoris, quæ plurima ab eo, inſigniaque acceperat. Erat Gregorio à ſecretis, in ijs, que ad ſtatum, curamque Reipublicæ pertinent, adeoque non mediocri authoritate, & gratia in Aula florebat,

Ioan-

Ioannes Baptiſta Agucchius Bononiẽſis, vir cùm cætera clarus, tũ verò ſcribẽdi Italicè, & rerũ per literas gerendarũ laude clariſſimus. Eius cõmẽdatione Ciãpolus ſicut ipſe in eum locum peruenerat, ita facilè eſt conſecutus, vt Virginius ad eum, quem diximus, honoris gradum aſcenderet. Sunt qui credant, Virginium, vbi primùm in Palatium pedem intulit, veteris inſtituti oblitum cogitare cœpiſſe de anteuertenda purpura Alexandro fratri, cui quamuis tenuioris ingenij homini, tamen vti & natu grandiori, & aliquot iam annos conſtituto in publico munere, deberi potius is honos videbatur: tantùmque breui vel ſua induſtria, vel amicorum ope profeciſſe, vt cum Gregorius lento quidem, ſed graui, conclamatoque morbo implicaretur; ad illuſtrandam præclaro aliquo facinore memoriam extremi temporis, de Virginio Cardinali creando in primo conuentu Senatus, vnà cum duobus alijs viris ornatiſſimis, Agucchio ipſo, & Angelo Cæſio, conſilia inirentur; quæ tamen Pontificis mors citius, quàm credebatur, conſecuta diſcuſſerit. Alij verò poſtremæ quidem parti aſſentiuntur; quòd verò pertinet ad præripiendum fratri honorem, commentos fabulam putant aulicos homines, Virginiũ non ex ipſius virtute, ac altitudine animi metientes, ſed ex moribus, & natura imperitæ multitudinis, quę adduci nũquã poteſt, vt minime credat, inſanire eos homines, qui nihil dicunt præclarius vita rectè, inſanire eos humines, qui nihil ducunt præclarius vita rectè, ſapienterque tradu&ta. Adduntque, Virginium non repugnantem potius, quàm volentem pertra&tum fũiſſe in Aulam Pontificiam, clamante ſubinde Ciãpolo, indignũ eſſe viro magnanimo, præſertim philoſopho, cum ſcias humanam ſocietatem mutuis

tuis officis cõtineri, nullã velle Reipublicæ partem attingere; cũque literarũ adeò sis amans, occasiones auersari illas, quibus literæ poliuntur: non prætermittendam oportunitatẽ iuuandi amicos, & industrios homines, nec ea munera recusanda, quæ nisi à probis viris, sapientibusque occupẽtur, improbis, & iniustis, magna cum Dei offẽsione, reique publicæ incõmodo, sint committenda. Mortuo Gregorio, & in eius locum Vrbano Octauo Põtifice renunciato, statim eius Cubiculo Virginius præficitur: idque tribuisse Vrbanum opinio fuit non tàm veteri beneuolẽtiæ, qua eius indolẽ ab ineunte adolescentia complexus fuerat, quàm recẽtibus eiusdem erga se meritis. Cum enim Mapheo Cardinali Barberino dudum subirati Hispani essent, suæque erga illum voluntatis non obscuras dedissent significationes; ægre illi, vt existimare quinis facile potest, ad Sũmum Pontificatum aditus patuisset, nisi Virginius à Francisco de Castro Regis Hispaniarum ad Põtificem Oratore & Didaco Saiuedra, qui consiliorũ omnium Francisco particeps erat, sæpius vrgendo impetrauisset, æquiore in tantum Virum animo esse vellẽt, & authores fieri, vt is cum Rege Catholico in gratiã rediret. Iam olim enim Virginius, manuducentibus literis, & re Poëtica, insinuauerat se in vtriusque illorum familiaritatem quemadmodum etiam Mapheo egregiè conciliauerat Gasparem Cardinalem Borgiam Hispanicæ factionis moderatorem, ac Ducem, qui quamquam durior ad hæc studia videbatur, facile tamen suauitate morum Iuuenis nobilissimi, & miræ in tractãdis, conciliandisque animis dexteritatis, ita captus est, nihil vt esset, quod non eius causa faceret libentissime. Certè si in Pontificibus creandis quicquam humanæ opi tribuere fas est, ac non potius sola tam arduo in opere, & sacro-

sancto

ſancto Voluntas Diuina dominatur egregiè meritus de Vrbano Octauo Virginius, eo facto videri potuit. Ad eum tamẽ fortunæ gradum tantam animi æquitatem, & modeſtiã attulit, vt eorum qui apud Vrbanum aliquo loco eſſent, nemini minus licére videretur: tãtùmque abfuit, vt eos imitaretur, qui ad pótẽtiam, opeſque ex inſperato euecti efferuntur faſtidio quodam, & contumacia; nullum vt ſuauiorem ex eo loco fructum percipere ſe fateretus, quà ſubleuandi veteres amicos, eos præcipuè, qui deſtituti re familiari; ingenio, & literis abundarent. Itaque breui illo tempore, quo in ea dignitate vixit, eorum quamplures, prout cuiuſque conditio ferebat, aut in familijs virorũ Principum, aut honeſto aliquo in munere collocauit. Aliquos etiam apud ſe retinuit: in his Auguſtinum Maſcardum, quem Parmæ cognitum, hoſpitis, & contubernalis loco habebat; & Franciſcum Balduccium, cuius opera vtebatur in ſcribendis epiſtolis, virũ ad Poeſim omnino factũ, ſi acrioris limæ labor, & vberior cognitio artiũ optimarum ad eius ingenium acceſſiſſet. Alios verò, qui cum nihil domi pingue haberent, præter ingeniũ; inani tamẽ ſcientiæ opinione inflati, ſæculum incuſabant, vt ferè fit, quòd iacere literas pateretur, molliter atque vrbanè admonitos erroris, in quo erant, hortari ſolebat, relictis ſtudijs literarum, aliam omnino artẽ magis accommodatam humeris ſuis, aliud vitæ genus aggrederentur. Eaque Virginij libertas meliora ſuadentis, multis, qui nullam in tãti Viri dictis ſubeſſe fraudẽ poterant ſuſpicari, ſaluti fuit. Tã illuſtri loco poſitũ Virginiũ, cũ publica expectatio, tum vero Vrbanus ipſe purpuræ deſtinabant. Verùm quod illi aliena mors paulo ante abſtulerat, ſua tunc abſtulit. Nam intra vertentem annum, ex quo Pontificio Cubiculo præerat, extrema

iam

iam macie confectus, fato, quod iamdiu forti, erectoque animo opperiebatur, tandem conceſſit, Kalen. Aprilis, Anno MDCXXIV. Conſtans autem opinio fuit, mortem illi maturauiſſe Præfecturam Cubiculi, cui vt frequens adeſſet, adeoque palam Pontifici faceret, ſe integras ad purpuram vires allaturum, affecto corpori, & quietis indigenti minime parceret. Virginij quidem mortem adeo grauiter tuliſſe fertur Vrbanus, vt per aliquot dies, vbi de illo mentio incideret, lacrimas non haberet in poteſtate: & cum Alexandrum Virginij fratrem Cardinalem creauit, profeſſus ſit, ſe potius Virginij memoriæ, quàm Alexandri promeritis illum honorem tribuere. Quàm carus autem Ciuitati fuerit, mœrore funeris indicatum eſt. Senatus enim, Populique Romani decreto, non ſolum in Palatio Capitolino ſtatua illi poſita eſt doloris publici teſtis, ſed etiam apparatiſſimo funere elatum ad D. Mariæ de Aracœli, Alexander Gothifredus S. I. Patritius Romanus pro concione laudauit. Humoriſtarum item Academia Virginio (qui honos, ex inſtituto illius loci, viris tantumodo fama, ingenioque maximis haberi ſolet) iuſta perſoluit, Auguſtino Maſcardo clari iam tum nominis Oratore verba faciente. Cuius Oratio excepta de more eſt à Poetarum carminibus, quorum magna pars ereptum ſibi Mœcenatem ſuum certatim dolebant, veroque luctu, non ad oſtentationem ingenij ſimulato, funus proſequebantur.

EPINICION

In Victoriam Bohemicam Sereniſs. D. Maximiliani Boiorum Ducis.

TRISTITIAM, trepidoſque metus, curaſque proteruis
Tradam Carpathium per mare ferre Notis.
Omnia lata cano: pleno nunc ore ſonandum:
Aurea quid ceſſas mì dare plectra puer?
Non referam molles luctus, priuata ſilebo
Damna, queri nobis publica cauſa vetat.
Surge anime, & deſueta diu fer gaudia mente;
Surge anime atque aliam diſce mouere chelyn.
Sacra canit vinctus Peneide fronde capillos
Vates: quiſquis ades, dic bona verba ſacris.
Vrantur Syria merces, Nabathaaque thura:
Puniceas oleant lucida templa roſas.

Vlta profanatas adſitis numina ſedes,
Implcat & veſter nunc mea lina fauor.
Sunt aliquid Superis: Romanis regnat in aris
Relligio, veteres quam coluſtis aui.
Non deſunt lentas vltricia fulmina iras,
Iudicat & tandem crimina pœna ſequax.
Fœda Palatinum regnis dare terga Bohemis.
Vidimus, & noſtra parta trophea manu.
Fracta cruentatum voluuntur ſceptra per Albim:
Funereo Hercinius ſanguine tabet ager.
Vincula Praga manu geſtat, qua tela gerebat,
Et male decuſſos accipit ore lupos.
Quis ſuperem, Muſæ, noſtros ad bella maniplos,
Dicite, quæ iuuat Cæſaris arma manus?
Vtraque finitimis legio conſederat aruis,
Cernebantque auidi mutua caſtra duces.
Hinc Rhenanus agit Slauos, Moranoſque rebelles,
Et ferus in pugnam Sleſia ſigna rapit.
Fœda Superſtitio, ſacris infenſa Latinis.
Tincta Acherontæo ſpicula felle tenet;
Et Vaticano ante alios incendia templo
Caluinus minitans impia tela rotat.
Hinc armis nitet Auguſto deuota iuuentus;
Ardet & ærata cuſpide Boia cohors.
Vna ingens Hiſpana phalanx certamina poſcit,
Inſtaque Partenopes miles in arma ruit.
Arduus & campo ſe ſe Buchoius infert.
Magnanimoſque docet ſpernere fata viros.
Aptant ſe pugnæ Tyrrheni principis alæ.
Hoſtem iamque prior quàm manus ira ferit.
Sic ſteterant acies, nec dum dare carmine belli
Clariſonæ audebant ſigna cruenta tubæ.

Aere

Aere ſe mittens rutilis cùm nubibus actus.
Liquit Adalbertus cærula templa poli.
Et Bauarum ſtetit ante Ducem: tùm ſtella nitenti
Per nubes ſecuit, crine refixa viam.
Non ille attulerat chlamydem, tunicaſque crepantes
Textilibus ventis, caribaſeoſque ſinus:
Non paſtorali firmans veſtigia virga;
Aut venit mitra tempora vincta gerens.
Qualem Diuorum cumulantem altaria donis
Iam vidit melior Praga operata Deo.
Norica ſed forti criſpans haſtilia dextra,
Totus & ardenti clauſus ab æremitet.
Aureus vmbo iras furias, clademque vomebat:
Nutabat criſta verſicolore caput.
Mox ait. ò fidei Princeps defenſor auitæ,
Maximiliane, tuis gloria maior auis;
Perge, age, tempus adeſt; via nunc rumpenda per agmen;
Diſyce, me, trepidos, omina dante, duces.
Sat regnare datum ſceleri iam fraudis abunde eſt:
Nunc admiſſa truci crimina morte luant.
Tu Cœli vindex, tibi victima corruet hoſtis.
Planget & aduerſam ſanguinolentus humum.
Non te, quòd denſis horreſcunt agmina ſignis,
Terreat: has acies numina magna premunt.
Diuorum violata animo ſimulacra reuolue;
Et temerata truci fana vetuſta manu.
Veſtales ſubeant aditus, & milite, caſtus
Quæ colit, audaci clauſtra refracta, pudor.
Illa eſt, illa ferox letho ſternenda iuuentus,
Diuorum è tumulis quæ rut oſſa ſacris.
Quique dedit cineres noſtros ludibria ventis,
Det lacer impaſtis oſſa inhumata feris.

Quòd cauſa vincis vinces & viribus hoſtes!
Stabunt pro caſtris iuſque piumque tuis.
O quantos hodie confuſa cædis acernos
Adſpicies! dextra funera quanta dabis!
Euentura cano belli non futilis augur:
Mentiri haud ſuperùm nuncia lingua poteſt!
Ecce tuas volitat circùm Victoria turmas,
Lectaque Idumæis fert tibi ſerta iugis.
Dixit & intorſit furialis robora teli;
Horret quà denſo crebrior hoſte globus.
Proxima Boiugenæ regis volat haſta per auras;
Cætera ductorem turba imitata ruit.
Exhortantur equos, laxiſque feruntur habenis:
Quadrupedùm occurrunt pectora pectoribus.
Fulmineum explodunt nitroſa tonitrua plumbum;
Sulphureaſque volat Mors comitata pilas.
Dant ſonitum colles, refugitque exterritus amnis:
Aether diſſultat, concutiturque ſolum.
At Dux fatifero Boiorum dimicat enſe:
Quà ruit, horreſcunt obuia corda metu.
Latum limitem agit, peditenq equitemq. metendo;
Verſaque vulnifico fulmine terga ferit.
Indica ſic frendens furit inter ouilia tigris:
Per Libycas equitans ſic ruit Auſter aquas:
Sic flamma arentes victrix populatur ariſtas:
Diluuiem meditans ſic tumet Iſter agris.
Tum verò exoritur clades horrenda cadentùm;
Strataque in informi corpora cæde natant.
Pars ruere in ſatum, pugnaci & pectore mortem
Accipere: aſt alij fidere terga fugæ.
Hi fluuium petere, & rapidis ſe credere lymphis;
Brachia ſed vincit vulnere tarda labor.

Iam

Iam terror miſeros nigris amplectitur alis,
Et quatit inſolitus pectora pulſa timor.
Iam reboant gemitus morientùm, pallida fuſe
Exultatque virùm ſanguine Tiſiphone.
Vndique ſanguineæ ſtrages, & plurima mortis
Verſatur facies: inficit arua cruor.
Vicit Relligio tandem, fuſæque caterua
Sunt viſæ ad noſtros proiicere arma pedes.
Tu quoque Rex ſtares miſerandus truncus in aruis;
Ni letho profugum ſurripuiſſet equus.
Ecce petis Morauas, latebroſa cubilia, ſyluas:
Nec, quæ circumſtent aſpera fata, vides.
Quò ruis, ò demens! noſtris accede triumphis:
Cæſareum ſatius ſponte ſubire iugum.
Iam tibi prædico exilium, longoſque labores,
Pauperiem, & nullos per tua regna lares.
Finibus extoris, Rhenique expulſus ab amne,
Quàm mallem, dices, hac cecidiſſe die!
O vbi nunc ſoceri auxilium, claſſeſque Batauæ!
Fugiſti: languet ſpiritus ille tuus.
Vouerat ille (nefas) ſeſe Capitolia ferro
Exciſurum olim, Romulidùmque decus:
Ebrius & patrio celebrans conuiuia Baccho
Sacrarat telis Itala regna ſuis.
At ſuperi oderunt ventoſa prælia linguæ:
Imminet in tumidos numinis ira Duces.
Montibus Aemoniis celſos imponite montes,
Monti parque Mimas, Oromedonque ruant:
Aegæon validus centeno fulguret enſe,
Porphyrionque fremat, centimanuſque Gyas:
Fulmine deiecti Stygias trudentur ad vndas:
Inuenient Siculis flammea buſta iugis.

Pura triumphatum Pietas ascendit Olympum;
Et parent humili sydera capta prece.
Hinc tibi victori, plausu fremituque secundo,
Fessa malis reserat mœnia Praga triceps.
Tu sancis leges, inimicaque fœdera rumpis.
Dux acie, & iusto dux metuende foro.
Bella gemunt, fractamque fidem, te iudice, sontes,
Fallaces cohibent vincula ahena viros.
Lictorem metuunt ausi spreuisse phalanges:
Armorum peragit stricta securis opus.
Miles, io, ingeminat præcinctus tempora lauro:
Acer io, ingenti voce, triumphe, canit.
Ante tuos currus fracto Muldauia cornu
Decolor incedit sanguine tincta suo.
Fertur summisso, tristique Bohemia vultu,
Quas nutrit, passis, puluerulenta comis.
Numina redduntur templis; altaribus ignes;
Numinibus cultus; thurea grana focis.
Primus & ante aras Princeps inducit honores,
Hostilesque aptat postibus exuuias.
Arma fugacis equi; seruantia signa cruorem,
Et de languenti spicula lapsa manu.
Ingentes pendent hastæ, infelicia tela;
Et frustrata suos scuta cruenta duces.
Sacra redux celebrat Romana in veste sacerdos,
Edit & arcano verba timenda sono.
Dein animata Deo delibat munera mensæ,
Et memorans Christi funera corde lutat.
Monstra fremunt Erebi, Cocytia regna resultant:
Horrendùm Hussitus sibilat ore draco.
Magnus cælicolùm plaudens tibi Carolus aula,
Hæc secum tacito in pectore versat anus:

O verè

O verè eductam Francorum è stemmate prolem!
Prælia sunt testes sanguinis ista mei,
Prosequitur planxu stellantis regia cœli;
Gaudet & aligerum templa per alta chorus.
Quare age præceptis pubes imbuta Latinis,
Rite operata Deo munera mente refer.
Grates Cœlitibus, quorum immortalibus armis
Debetur pulchro parta labore salus.
Ferdinande tuo victor lætare triumpho:
Gaude Cæsareis fascibus aucta domus.
Victa sub Augustis rediit provincia virgis:
Externumque iugum se coluisse dolet.
En tua syderea veniunt ad classica turmæ.
En tua Cœlicolum prosperat arma Pater.
Non tibi dat metas rerum, non tempora cœlum;
Terrarum imperium sed sine fine dedit.
O bene culta pio cœlestia sacra Rodulpho!
Qualia creverunt omine regna tuo!
Exoriens, moriensque tuas Sol aspicit undas:
Auster, & Arctoi te colit ora soli.
Concinit Austriacos Siren Tyrrhena triumphos:
Et plaudit fausta, cum tonat, Aetna face.
Belgica concreto per stagna rigentia tergo
Arma, & plaustra tuus stridula miles agit.
Fœta tuis sceptris alios sors parturit orbes,
Transque fluentisonum regna dat Oceanum.
Peruuios tua iura domant, & Mexicon ingens,
Teque Thyestæa Brasili pasta dape.
India quin aurum, captiuaque cinnama mittit;
Memnonij baccas & tibi dona freti.
Gangaridum Hispanæ sunt hospita littora puppi;
Seruit & Eoæ fertilis ora Goæ.

Gaude Relligio, ſoboles dilecta Tonanti:
Ire per Aethiopas ad tua templa licet;
Aurora tellus veneranda oracula poſcit:
Sacra niger patrio thure procurat Arabs.
Occiduis Phlegeton longe detruditur aris,
Patagonum luci præmonuere fugam.
Quà tenet imperium, Romanos Auſtria mores
Edocet, & victos ad pia ſacra vocat.
Tu Calopopulos, Superi tibi regna rependunt:
Nec magis es ferro, quàm pietate potens.
Hæc ego magna canam vates tua ſigna ſequendo:
Gloria det vires, carmine magnus ero.



AD GREGORIVM XV. PONT. MAX.

Bellicos Italiæ tumultus pacantem.

PROIICE tela manu bello furiosa iuuentus:
Linquite Cænomanũ Martia castra Duces.
Cornipedisque leues cesset glomerare recursus.
Lugubri galeæ luce timendus eques.
Romanus vetat arma Pater, Martemque relegat;
Sanguineamque sitim trans pia regna fugat.
Compescant litui, compescant classica murmur;
Cantentur pacis sola trophæa tuba.
Deuocat è Cælo, felicia munera, pacem,
Qui reserat Cæli limina ahena Pater.
Ausonias solui decernit in otia gentes:
Italapallenti liberat arua metu.
Drusorum manes, Augusti nominis vmbræ;
Gaudete: hæc vestri est pompa laboris opus.

En iterum reduces Capitolia ad alta triumphi;
Nec tamen hic vllo eſt ſanguine partus honos.
Alpibus impoſiti Rhæti ſenſere tremendis
Agmine non fracti iura latina togæ.
Cernite tranquillos deuoluat vt Abdua fluctus,
Et Phàètontæas purior auctet aquas.
Serius vt torquens per opima noualia curſum
Roſcida triticea cornua cingat ope.
Larius indigena crines vmbratus oliua
Splendidior gelidis exerit ora vadis.
Hunc circùm Nympha, glauci gens humida regni,
Deſuetos ducunt vda per antra choros.
Eheu quot ſcelerum mœrens Inſubria vultus
Caperat, heu quantum pertimuiſſe nefas!
Et ſibi funeſtas acies plebs ægra canebat,
Et cædem, & prædas augure docta metu.
Ille ſitu turres muris fulcire labantes;
Et terræ infoſſas credere auarus opes.
Triſtibus excubijs hinc cingere mœnia miles;
Atque alij externa quærere ſede lares.
Fataque præmonuiſſe Deum crudelia ſignis,
Bellaque narrabant ſignificata polo.
Quùm triplici Phœbus fulſit mirabilis orbe;
Pallentique diu lumine ſparſit humum.
Cumque cateruatim ſtragem demiſit Auerno,
Depopulatrici falce cruenta lues;
Et viduas paſſim cereali munere terras.
Solata eſt priſcis quercus opaca cibis.
Prodigia hæc trepidum terrebant nuncia vulgus;
Omnia Gregorius cum meliora dedit.
Publica vela regens Mundi, clauumque miniſtrans,
Promiſit fauſtum Nauita puppis iter.

Ex-

Extemplò grauidi bellis cecidere fragores,
Detonuit ſcopulis: vnda quieuit iners.
Quàm citò vbi antennis gratu effulſere Lacones:
Stagna modeſta iacent, murmuris aura ſilet.
Quàm citò quùm crepitans lapidoſo verbere grãdo,
Diſiecit & vites, & ſata læta boum.
Diffugiunt imbres, miteſcunt flamina Cauri,
Iris vbi roſeis æthera tranat equis.
Gratia multa tibi magnorum maxime Regum;
Depoſitis clypeis, otia mundus agit.
Pax ardor Superum, Cæli mitiſſima proles;
Omine cum fauſto Diua ſalubris ades.
Huc ades atque Padi curru perlabere littus,
Et tibi caſta regat frena pudica Fides.
Quacumque ingrederis fælici Copia cornu
It comes, & læto in grammine balat ouis.
Incuſtoditæ Zephyris agitantur ariſtæ,
Et teritur valido ſole peruſta Ceres.
Te ſequitur Bacchus; per te ſeruantur apricis
Collibus ad domini muſta vehenda lacus.
Sarcula pace vigent, rubigo amplectitur haſtas:
Cedit ruricolis gloria bobus equi.
Fas graditur tecum, tibi rident oppida, & vrbes;
Tu maculoſa grauis crimina lege domas.
Iuſtitiam ſolio pulſam tu reddis eburno:
Illius horrendas inſtruis enſe manus.
Pacatum hinc volitat mutandis mercibus æquor,
Nec timet à nigris nauta pericla Notis.
Et tranquilla quies curas ornare recentes.
Geſtit, & inuenta fertilis arte nitet.
O mortale genus quid letho in damna ruenti
Noſtra iuuat celeres Marte aperire vias?

Quis

Quis furor eſt claras lauros nutrire cruore,
Pectoris vt foſſi vulnera nomen emant?
Cognatis parcit maculis ieiuna leonum
Ira, nec agnata gaudet hyena dape.
Ecquando tygris gelido bacchata Niphate
Parthica turpauit comparis arua nece?
Proh pudor! humana eſt rabies aſperrima ferri;
Humana indomitis ſeuior ira feris.
Quod ſi tantus amor cædis corda aſpera pulſat;
Deſinite in patria ſtringere tela latus.
Thrax vocat Auſoniæ reſides in bella caternas;
Et poſcunt Siculas Boſphora bina rates.
Vos pia buſta vocant fœdo calcata Tyranno,
Inque Paleſtinis ſacra litata iugis.
In Scythicas plauſtro turmas, pharetraque potentes
Vulnera ſit pulcher figere certa labor.
Aut vos adſcenſis comitentur præmia Suſis
Bellica, odoratis thuraque rapta viris.
Aut veſtra in Parthis latetur ſtragibus haſta;
Matribus Eois haſta gemenda diu.
Ite agite, atque Aſiæ felicia regna triumphis
Luſtrate, & capto dicite ira Syro.
Vobis ſerta dabit florum nutritor Orontes,
Perducet veſtras vnguine myrrha comas.
Gracia barbaricè ſeuis onerata catenis
Implorat ſocias ſemiſepulta manus.
Oenotrias claſſes æſtiuas Nilus ad vndas
Tota veſte vocans pandit in amne ſinus.
Se laniant Orientis opes, ſibi diſſidet ingens.
Aurora, inualido ſceptra tenente Duce.
Et fremere inſolito prætoria caſtra tumultu
Vidimus, in Regem pilaque miſſa ſuum.

Ille

Ille velut Boreæ procumbens viribus ornus
Occidit, & trunco corpore planxit humum.
Discite ab exemplis hostilibus inclyta facta:
Victima erat nostris hæc iugulanda focis.
Parcite cognatas in bella lacessere gentes:
Sanguinis abstineas Ausonis ora tui.
Quòd te iam dudum laceras discordibus armis,
Nostra peregrino sub pede colla iacent.
Pauperiem morbosque viris lacrymabile bellum
Omne parit. cæcus cum mouet arma furor.
Verùm cum lituos inflat ciuilis Enyo,
Ipsa quatit Stygias torua Megæra faces.
Acrior infrenat Mars in certamina currus,
Et peiora illum monstra secuta ruunt.
Helleſpontiacos vtinam tibi Roma triumphos
Ante meos obitus monstret amica dies.
Qua videam Patris auspicijs turbata Latini
Sacra Arabum, & Latio reddita sceptra foro.
Gregorij hoc pietas, hoc auri prodiga poscit
Dextera, & assiduo culta labore fides:
Huius ab auspicijs iam nunc per templa propagans
Relligio ante aras sacra pianda docet.
Et Vaticana de culmine creditur arcis
Aegida concutiens tela ciere Deus.
Hæc precor eueniant, lauro tunc vinctus ouanti
Tractabo auratæ consona plectra lyræ.
Conabor quæ tuas laudes diffundere in æuum,
Exiguus nostro sit licet ore sonus.
Nec me tardabunt raucæ mala murmura linguæ
Quin bellator, Io, voce, triumphe, canam.
Iusserit hoc Clio; mutum genus omne natantum
Edet Cycneos per vada salsa modos.

Sic

Sic ope Pieridum gelidas trans audiar Alpes,
Trans tepidam Meroen, tu modo Phœbe velis.
Et vincam æterna clamantem Stentora voce.
Nec mea cum Zephyris verba caduca fluent.
Non me perpetuæ carpent oblivia noctis,
Non omnis moriar, tu modo Phœbe velis.



GREGORIVM XV.

ITERVM LAVDAT

OB TRIVMPHVM PRAGENSEM.

VIRTVTIS, legumque parens, celeberima regnis,
Condita ſeptenis Romula terra iugis.
O Patria æternùm fœlix, fœcunda triumphis
O bellatorum prole beata virum!
Tu quamuis gemino ſolis metuenda ſub axe,
Margine ſydereo clauſeris vrbis opes.
Mille licet Tuſcum Tybris regnator in æquor
Sceptra triumphali barbara vectet aqua;
Annibaliſque fuga, & regalia vincla Iugurthæ
Dardaniæ fuerint pompa cruenta manus.
Grata tamen lauros ne dedignare recentes,
Quas tibi de Rheni littore, Diua, fero.
Gregoriique ſacros precingat adorea faſces,
Quaſque apices terni circumiere comas.

Tu

Tu latè horrendo ſacrorum numine pollens
Tranſcribis iuſſu perfida regna graui.
Deturbas ſolio reges, adimiſque curules,
Nec falſa populos plaudere voce ſinis.
Ecce Palatinus magna te vindice linguæ
Euerſus regnis præmia digna tulit.
Conſiliſque tuis iuſtiſſima Cæſaris ira
Tranſtulit in Boios regna caduca lares:
Ille ferox nobis dementes corde ruinas
Dum parat, à patrijs excidit exul agris.
Quas tu ſperaſti exuuias, dedit ipſe Quirino:
Pendent è noſtris ſigna Bohema tholis.
Nec tantùm Auſonias augent Mauortia prædas:
Tela, ſed & capti, Palladis arma, libri.
Cecropias, ſapiens vixit queis Græcia, chartas
Hoſtibus ereptas Romula cura legit.
Heidelberga tuis clareſcet Romaruinis,
Dum viuent artes, ingenijque decus.
Tu quondam aduerſas in nos hortata phalanges
Infandas poteras ære onerare manus.
Calainuſque tuis conflabat dira cauernis
Hæſura in noſtro tela ferox latere.
Argiuaque aciem verborum fraude polibat
Gorgoneo exploratus tincta metalla lacu.
Non ita Cyclopum ſi vera eſt fama camini
Informant rapido fulminis igne minas.
Prore Calicolum, pro maieſtate Tonantis
Ictibus horriferis ſaxa Sicana gemunt:
Miſcuit & nudus candentia tela Pyracmon
Centimanùm ardenti clara futura nece.
At tu Terrigenis Rheni fabricata ſub antro
In Cœli exitium tela rotunda dabas.

Tybridis ò castæ pubes operata Minervæ
Gaude Socraticæ pignore lætæ domus.
Hæc tibi sufficiet sternendis hostibus arma;
Hinc illis terror, morsque cruenta venit.
Quis scit, an & nostris hinc olim excussa lacertis
Inficiet fusus spicula ab hoste cruor:
Petre fave, miles Christi dum prælia tento;
Et mihi de Petri munere surgit opus.
In tua monstra feror, Germania fœta colubris,
Et mihi sunt arcus, & mea dextra nocet.
Vipereos rictus, latranti colla refringam,
Et sparso pharetræ pondere victor ero.
Interea dulces Phœbi redeamus ad artes:
Me cytharæ imbelles, plectraque Lyda vocant.
Rex ò sacrorum tibi plebs, tibi Curia plaudat:
Castaly plaudant per iuga bina chori.
Et, benefactorum merces, tibi gloria detur,
Et memores titulos fama superstes alat.
Ifelix, puppique sacra pete regna per undas,
Mercibus Eois perge onerare ratem.
Vise pharetratas gaudentes cæde Moluccas,
Hospitibusque fera littora Brasiliæ.
Trans Indum, & Gangem, nascentis & vltima Solis,
Cæruleas certo sydere curre vias.
Xauerius magno ante aras dignatus honore,
Auspice te, superum, linea tuta vocat.
Legifer ille Euri, Ledæis clarior astris,
Ostendet fido lumine puppis iter.
Crede mari pia lina Pater: iam sternitur vnda:
Pura repercussa marmora luce nitent.

Iam non de ſeptem ſpecubus effuſa Trionis
Naufraga tempeſtas in tua vela ruet.
Nimbrorum illa olim ſedes diſiecta tumultu eſt
Aeolia ingenti, noſtraque iura timet.
Hoſtes hinc ſoliti Cauris immitere habenas,
Vt quaterent alis aſpera dorſa freti.
Atque indignati turgentia regna tridentis
Romana inferrent vltima damna trabi.
Viſum aliter ſuperis: nauis, nauiſque Magiſter
Poſt victas hiemes littora tuta tenent.
Nauita Gregorius nunc regnat, & Aeolus idem;
Hic nouus Hippotades murmura rauca domat.
Tolle Ithaco mendax frenatas vtre procellas
Clio, Romani eſt remigis illud opus.
Hic Vaticanis includit flamina clauſtris:
Et rabiem, & furias prouidus ære ligat:
Mœnia Pontificum, Diuiſque habitabile buſtum,
Dædaleiſque minis templa imitata polum.
Ruraque Phæacum ſyluis certantia cultu,
Naiadum choreis, vdaque ſemper humus.
Porticibus veſtris ò qui me ſiſtet, & vmbris
Noſcere quærentem Graia reperta ſenum?
Vt tacitus vulgo reptare incognita Tempe,
Et poſſim veſtro rore leuare ſitim;
Hic ego Mopſopij vel ducam pocula mellis,
Curuaque Pirai littoris arua legam.
Vel cupiens dubias naturà accedere cauſas
Ingrediar Macedum culta Lycæa duci.
Perſequar aut tragicùm ſpirantia carmina vatum,
Caique Alcæique aurea plectra lyræ.
Tunc ego deſpiciam ſtultæ mala gaudia mentis,
Donaque gemmiferi deſpiciam pelagi.

Quod

Quod formidatus vestigat classe Batauus,
Qua matutinas Tana colorat aquas.
Sardiniæ segetes, bene olentes fruge Sabæos,
Hermum despiciam despiciamque Tagum.
O valeant fasces, spinosaque purpura Regum;
O valeant miseri, quos leuis vrget honor.
Quos velut ad rabeas ventosis Gloria bigis,
Pectora quæ surdo verbere cæca ferit.
Tu Bellona vale, & vos ò fera bella valete,
Et Martis furias docta ciere tuba.
Alter pila rotet campis, hastasque coruscet,
Qua magnus nautis emicat Oarion:
Oceani Oarion pedibus qui stagna peragrans
Aequo eis humeros altior exiat aquit.
At me fallentis carpentem commoda vitæ.
Parnassi adspiciat lenis alumna quies.
Sic ego Musarum deuectus prapete penna
Eripiar populis, & super astra ferar.
Maior & inuidia per posthuma carmina viuam,
Virtutisque tuæ, Roma, poeta canar.

NICOLAVS LVDOVISIVS

ISABELLAE GESVALDAE

Sponſæ Venuſij Principi.

ACCIPE Trinacrijs è Regibus edita Virgo
Coniugis ingenua ſcripta notata manu.
Accipe: conceſſos narrabit epiſtola amores,
Sollicitique animi nuncia verba feret.
Nont tot arundineis armantur terga ſagittis
Parthica, quot lacero in pectore tela gero.
Nec ſic ardet ager, ventis æſtate coortis,
Paſtor vbi flammis pinguibus arua coquit.
Vt mea tabificis torrentur viſcera tædis;
Feruidus vt noſtrum molle cor vrit Amor.
Vnica tu noſtræ cauſa es pulcherrima curæ,
Vnica triſtitiæ fonſque, moduſque meæ.
Vritur omnis amans, ſed aperti coniugis ignes
Suſcitat, vt viuant, penniger ipſe Puer.
Felices, ſociæ iungunt quos fœdera dextræ,
Iungit & ad thalami gaudia pacta Venus:

Me

Me tibi connubio puerum data dextera nectit;
Non vacui nectunt frigida regna thori.
Te Campana tenet felicior hoſpite tanto
Tellus, me inuitum Romula regna tenent.
Heu mihi quam longè meus à me diſſidet ignis!
Ignis abeſt longè, ſed ferus ardor adeſt.
O vtinam optato coram cònſumerer æſtu,
Explerentque auidam lumina amata ſitim!
Maceror, & noſtro non ſit medicina dolori;
Acer & in latebris pectoris hæret Amor.
Quid faciam? celebrare fugam, ſedeſque paternas
Deſerere, & fratris limina cara iuuat.
At vigilis patrui pia me cuſtodia ſeruat,
Quam calum, & terra, fuſcaſque regna timent.
Hic mihi diſceſſum optatum, veniamque roganti,
Cauſatus puero multa, negauit iter.
Te tamen inuenio, quamquam his regionibus abſis,
Blanditiſque tuis, qua datur arte, frnor.
Mente agito vultus ad noſtra incendia natos;
Artificis video lumina Amoris opus.
Et meditor flauos crines, & eburnea colla,
Quique precor, niueos, ſint mea preda, ſinus
Cum verò hæc meditor, calum contingere plantis,
Et videor celſi templa habitare Iouis.
At cum te abſentem agnoſco, mea gaudia ceſſant,
Et videor triſti trans Styga puppe rapi.
Solamenque mali, miſero quod reſtat amanti,
Legatos qui te, multa, adiere rogo.
Quid facias poſco, de me quodcumque locuta es,
Quæque ſcio quæro, mox repetita peto.
Qui vultus, quam forma decens, quam dulcia verba,
An deſiderio tu moueare mei.

Num cytharæ cordi tibi ſint, num Palladis artes?
Saltanti vt ſoleas molliter ire pede?
Ecquid in antiquam virtutem gloria regum
Te rapiat, quænam ſit tibi culta parens?
Hæc tunc ſæpe meo reddunt reſponſa dolori,
O fœlix tali vulnere quisquis amat!
Fulua coma eſt illi, niueo pulcherrima fulget
Corpore, & inceſſu Numen, & ore patet.
Illius ex facie contorquet fulmina Cypris;
Dum loquitur, vernas ſpargit ab ore roſas.
Illius in digitis plectriſque loquentibus artem
Muſica Phœbæi gloria fulget aui.
Seu choreas ducit ſiue eſt operata Mineruæ,
Pone illam triplex Gratia ſubſequitur.
Et memor illa tui eſt, & multa interrogat illa
Te ſuper, & roſeo, dum rogat igne micat.
Caſta pudicitiam mater, ſanctoſque penates
Seruat, & in pacto fœdere amare iubet.
Ipſa genus factis teſtatur ſanguinis heres,
Atque animi ante alias prima quell a nitet.
Hæc mihi reſpondent cupientes fallere euram,
Aſt alimenta furens hinc ſibi ſumit Amor.
Gliſcit in immenſum, nec ſe bene continet æſtus,
Fletibus attenuor pallor & ora ſubit.
Et me cunctarum capiunt faſtidia rerum:
Non pila, non diſci, aut flectere ludus equos.
Non curſus me palma iuuat puluiſque Paleſtræ:
Nare per æſtiuos non mihi cura lacus.
Quò rudior primos mens non intelligit ignes,
Sæuior in teneram ſpicula figit Amor.
Læditur à primo detrectans taurus aratro,
Primaque langueſcit ſubiuga miſſus amans.

A te principium noſtræ duxere fauillæ:
Vltima tu curuo es flamma futura ſeni.
Per tua tela, arcus, & per tua lampadas, arma,
Sic tibi de ſuperis ſæpè triumphus eat.
Parce Puer, Puero nulla eſt me gloria victo;
Parce, ſed vt parcas, cuſpide læde magis.
O me felicem, hic cinerem ſi fecerit ardor!
Sit mihi tam pulcro læus in amore mori.
Gratia ſit Superis, talis quod gratia formæ
Me capit, cupidis mille petita procis.
Quæ te ex ingenti Auſonia, matreſque, virique
Natorum tædis non cupiere nurum?
Non tot Dulichij proceres, errante marito,
Auſi ſunt nuptæ ſollicitare fidem.
Si te feciſſes crudelis præmia pugnæ,
Elide nobilior nunc tua terra foret.
Herculei mallent pro te certaſſe lacerti,
Teque dolo aurigæ Phryx rapuiſſet equis.
Quique tulit celeris munus Schoeneida plantæ
Aurifera mallet te ſuperaſſe fuga.
In te laudantur mores, vultuſque, genuſque,
Et tibi quas campus dat Venuſinus opes.
Sunt quos diuitiæ, ſunt quos tua regia tangit,
Et quæ Lucanis iugera bobus arat.
Me tua forma rapit, non mœnia vatis Horati,
Et caſti mores ſunt mihi flamma decens.
Non tamen hîc veſtros auſim damnare triumphos,
Maiorum laudes, & benefacta mari.
Te tua, te veterum comitatur gloria, priſcos
Appula Normannos regna loquuntur auos.
Exuuijs Arabum pulſis & victor Achiuis,
Robertus patrios auget honore lares.

Illum anguſtantem cumulatis funerum acerui
Vidiſti ripas, Aufide lente, tuas.
Turbidus & quatiens validam Rogerius haſtam
Armata retulit regia ſerta coma.
Chalcidicos campos, & rura Typhoidos Aetnæ,
Et Capuam hic ſceptris preſſit, & arua Lami.
Quid memorem Sueuas materno è ſtemmate lauros,
Fluminibus centum quas pater Iſter alit?
Hæc alij iactent dulcis præconia famæ:
Tu fulges titulis conſpicienda tuis.
Tu mihi deuictis melior prouincia turmis;
Exuuiæ, & reges tu mihi currus eris.
Ah modo ſis facilis, neu connubialia differ
Gaudia, & inuiſæ tædia rumpe moræ.
Sed cur, vt venias, fruſtra mea vota laborant?
Non tu cauſa moræ; ſed negat annus iter.
Torrida celeſtis rapidus per brachia Cancri
Phœbus anhelanti ſydere ducit equos;
Atque herbæ ſitiunt morientes, & cauæ ſiccis
Stagna arent ripis, omnis & aura ſilet.
Pontinæ halantes cænoſa vligine valles
Aeſtiuam prohibent fœda per arua viam;
Nec tutum Cumas, Circeſque vel Anxuris arces,
Aut Læſtrygonium radere puppe ſalum.
Non bene Campani mutantur Tybride colles;
Hìc vitio cæli nam furit atra lues;
Corpora graſſantes ſternunt iuuenilia morbi:
Ignea vis Vrbem dat populata neci.
Te ſeruent potius cognatæ regna Caſertæ,
Neu ſubeas dubiæ tanta pericla viæ.
Me miſerum! vellem tibi non ſuadere, quod oro:
Vt maneas iſtic attamen ipſe precor.

Tu-

Tantius æstiuos istic perferre vapores,
Icarij, poteris, dum micat ira Canis.
Te gelidis foueant Tifata vberrima riuis;
Quà niger vmbrosas lucus opacat aquas.
Alcinoi superant vestræ pomaria syluæ,
Felix qui agricola Principe gaudet ager.
Non liquidi desunt fontes, non mollia prata:
Arbor habet frondes, gramine vernat humus.
Quæque per immensas sunt semina dicta terras,
Pandunt insolitas rura per ista comas.
Narcissusque, crocusque, & gramina, Solis amores,
Regum & de vario funere surgit honos.
Fama est per vestros errare animalia montes,
Et cicures pluma versicoloris aues.
Siue igitur pictis rheda spatiabere in hortis
Seu canibus quæres præmia, siue plagis.
Siue pharetratæ ritus imitata Dianæ
Torquebis gracili Gnossia tela manu;
Dent tibi plaudentes argentea lilia Nymphæ,
Et faueant Satyri, Naiadumque chori.
Adsitis nemorumque Deæ, ruriscque puellæ:
Pulcrior in vestros Cynthia migrat agros.
Spargite humum foliis, manibus date roscida plenis
Serta; fluant fusæ per nemus omne rosæ.
Huic nemora, & saltus, fontesque recludite puros,
Vt gelida arentem temperet vnda sitim.
Tu quoque de Getico, Borea, celer axe faueto:
Per dominæ placido flamine curre sinus.
Defendat nimios tuus illi spiritus æstus,
Illa tuis animis purpurea ora subi.
Sed cane ne nostris committas oscula labris:
Attica amatori sit tibi præda satis.

Cam-

Campani montes, & formoſiſſima prata,
Vxoris niueo paſcua tacta pede ;
O vtinam veſtros poſſem penetrare receſſus,
Aſpicere & Dryadum veſtra per antra choros !
Tecum vnà ſalices inter, mea vita, iacerem,
Tecum vnà in ſyluis vellem agitare feras.
Et modò captarem frigus, legeremque liguſtra
Candida, caleſtes implicitura comas.
Et modò penderem dulci cantantis ab ore
Miratus docta carmina auita lyra.
O quoties medio cum Sol altiſſimus orbe eſt,
Acciperet feſſos qualibet vmbra duos !
Non quererer, teneros æſtus quod læderet artus,
Fœdarentque meas retia torta manus.
Vana ſed aeria rapiunt mea vota procellæ :
Proh dolor ! en ſyluas, me ſine, ſola vides.
Ah ſaltem capiant te nulla obliuia noſtri,
Et dicas : coniux, hei mihi ! fidus abeſt.
Cura ſit ilicibus noſtros incidere amores :
Fac legar in multo cortice ſcriptus ego.
Hæ tibi ſint artes, longum ſic falle laborem :
Parce per hos æſtus, vita, nocere tibi.
Interea lectis te ſomnia noſtra reducant ;
Luminibus noſtris vmbra benigna veni.
Tunc ego perpetuo vellem langueſcere ſomno ;
Tunc matutinos odero Solis equos.
Te tamen & vigilans ſpectabo, perfruar abſens
Vultibus optatis, quos mihi cera refert,
Non reſpondentis ſimulacraque vana figuræ
Alloquar, & labris oſcula mille dabo.
Felix Pygmalion, ſigni qui captus amore
Vota ferens Veneri viuere vidit ebur.

No-

Noſtrum viuit ebur, ſpirantia membra puellæ:
En erit, vt poſſim hoc dines amore frui?
Et fruar, & noſtro pones veſtigia lecto:
In mea tu venies brachia, dulce caput.
Spes bona, promiſſis triſtes quæ ducis amantes;
Ingredere ò tandem pectora feſſa malis.
Tuq; ò decurrens animoſa per aſtra Leonis
Axe moraturas contrahe Phœbe faces.
Teque cito accipiat redeuntem flexibus actis,
Quæ penſat ſomnos lumine Libra pari.
Tunc molles campi, tunc clementiſſimus annus;
Qui diſceſſuros carpere ſuadet iter.
At tu, ſæua Lues, ſuccincta Pauoribus alas,
Sub patria infandum Tartara conde caput.
Solue metu Romam fugiens Saturnia regna:
Splendeat hìc roſeo lumine pura dies.
Tunc, mea lux, venies noſtrorum finis amorum,
Siue velis terris, æquore ſiue vehi.
Ipſe tibi faciles undas, ventoſque precabor,
Nereidumque regant vt tua lina manus;
Aſpicienſque tuam tranquilla per æquora pinum,
Illa vehit, dicam, numina noſtra ratis.
Non me fallenti tardabit littus arena;
Non breuia alternis ſtagna refuſa vadis.
Oſcula quin tibi dem properata ſine ordine multa;
Oſcula amatori trans mare digna rapi.
At tu Romuleas arces inuecta triumpho,
In Latij venies patrua regna ſenis.
Quæ te pompa manet, cum tu pulcherrima rerum
Ibis inauratis per fora plena rotis!
Dardanij occurrent proceres, feſtæque caterua:
Templa frement plauſu, lætitiaque via.

Aſpi-

Aſpicies Vrbem, victricia mœnia mundi,
Alternæ Solis quam tremuere domus.
Hæc legum belliq; Parens oracula terris
E Vaticano culmine ſancta canit.
Hìc Patruus dat iura meus, qui fœdere nexos
Nos iterum iunget per noua ſacra manu.
Hic vir, hic e, Italis pacem qui reddidit aruis
Nondum tergemino cinctus honore caput.
At nunc ſceptra tenens, iraſque, atque impia bella,
Crimina que inuicto vincta adamante ligat.
Huius ab auſpicijs Diuorum altaria creſcunt,
Templaque cœlitibus thure vaporat Iber.
Hic ſeniũm emendat legum & ſuffragia Patrum,
Hoc duce per Latium priſca metalla fluunt.
Non ego ventoſus trabeas generiſque trophæa
Hic refero vt titulis perfruar ipſe meis.
Mens meliora manet. magna hæc tibi gaudia narro
Vt citius ſtimulis acta ferare nouis.
Quin te purpurea redimitus tempora vitta
Optatam frater plauſibus excipiet.
Hunc fama eſt meritis oſtrinos vincere honores:
Fortunam didicit tàm bene ferre ſuam.
Seu rem Romanam ſtatuit plaudente Senatu,
Siue rudes populos Romula ſacra docet.
Hic deſueta diu reuocauit ad otia Muſas,
Fraudentur celebri ne ſua facta lyra.
Te centum, aut plures tollent ad ſydera vates,
Nam centum, aut plures Tybridis arua colunt.
En cytharas, & plectra citant, thalamiſq. precantur
Vt faueat noſtris lampade clarus Hymen.
Quid memorem, qua noſtra parat tibi munera mater,
Arabio niteas vt noua nupta mari?

Et

Et claros lapides, Erythræa germina concha.
Quæ peperit Ganges, quæ Comorina Thetis?
Iam tibi depectunt foliis sua vellera Seres,
Et tunicas auri fulgure pingit acus.
Flamina net paruo fœcunda Bononia Rheno,
Optat virgineus quæ sibi vela pudor.
Et viridi zonam variant tibi luce smaragdi,
Quæ tandem nostra est dissoluenda manu.
Quare age, cum mitis patientur frigora bruma,
Cumarum Euboico è littore solue ratem:
Interea pro me tecum mea littera viuat,
Occupet & partem charta recepta tori.



ANTIVM VETVSTISSIMAM. VOLSCORVM VRBEM nunc dirutam celebrat.

QVI Tyrrhenũ celeri trabe curritis æquor
Quorum tranquillis vela tument animis
Oſtia ſeu Tiberis, ſeu ſaxa Liguſtidi oræ
Linquitis, & Iani mœnia iacta manu.
Siue Dicharchæa nauta ſoluiſtis ab acta.
Puppim, Parthenopes dulcibus aut ſcopulis.
Siſtite velinolum curſum, cohibete fauentes
Auras, vela cadant, parcite remigio.
Cernitis inſana conſtratum mole profundum,
Spumea quam circùm murmure feruet aqua;
Qua pelagus per ſaxa furit, fluctuſque laborat.
Deiectum oppoſitas aggeris ire moras?
Hæc quondam celebres teſtantur mœnia portus,
Atque Auſtri in furias obdita clauſtra mari.
Arripite has proris terras, monumenta docebo
Vos veterum priſcis eruta ab hiſtoriis.

Non

Non tantum ſanctis inſtructa legibus urbes,
Tectaque diuitijs luxurioſa ſuis;
Mortalem alliciunt pulchra ad ſpectacula viſum,
Sed placet annoſo ſquallida terra ſitu.
Ob lectat pauor ipſe animum, ſunt gaudia curis,
Et ſtupuiſſe iuuat, quem doluiſſe piget.
Littore in hoc quondam ſurgebant diuitis Antî
Arces, Volſcorum Regia celſa Patrum.
Vrbs populis florens, falix & pinguibus aruis,
Audaces ventis credere docta rates.
Auſaque Romanas per bella laceſſere turmas,
Spernere & armati Conſulis imperium.
Volſca cohors paſtos abigens à Tybride tauros,
Roma, tui quondam militis horror erat.
Pauperis ò ſemper memoranda infantia regni,
Quo ſe falici ſuſtulit alta gradu!
Tunc Anio fuerat celeri pro Tigride Roma,
Extremique hominum Cruſtumeri, & Gabij.
Hercyniæ ſaltus, Cymini vos antra fuiſtis,
Nile pater fontes, lympha Velina, tui.
O quoties Volſci bellum inſtauraſtis, & acres
O quoties fudit Martia Roma duces!
Sæpius impoſitum regni ceruice rebelli
Detrectaſtis onus, ſeruitiumque ferox.
Vicit Roma tamen, Martis iuſtiſſima cura,
Martius & victo iura dedit Latio.
Cum mare ſanguineo perrumpens Aſtura fluctu
Aeſtibus inuoluit corpora cæſa virûm.
Triſtior & fluxit valles Amaſenus in imas
Inficiens Saturæ ſtagna cadaueribus.
Contudit Aequorum nomen, Volſcoſque Camillus,
Moxque trimuphalis Quinctius agricola.

An-

Antium & æquoreas vetuit tractare carinas,
Et fortunata merce onerare rates.
Robora tunc primùm prorarum, captaque roſtra
Suggeſtum Latij compoſuere Fori.
Anne parùm fuerat fluctus audiſſe minantes,
Atque procelloſi iurgia rauca fori?
Heu tempeſtates Vrbis, legumque tumultus!
Auditura nouum roſtra mare imbuitis.
Attamen ò gaudete rates, gaudete, Latinum
Veſtras eloquium ſubſtinuiſſe trabes.
Chaonia vatum celebrantur carmine quercus,
Quòd viſa Euro ſint concutiente loqui.
At vos felices Ciceronem audire loquentem
Queis datum, & ingenti Cæſaris ore frui!
Nonne fuit ſatius tanta mercede domari,
Atque hæc perfidiæ præmia ferre trucis?
Aſt Latium puduit ſacras coluiſſe ſecures,
Romulidum & forti ſubdere colla iugo.
Inuidiæ ſtimulis vrit nos proxima virtus,
Et malè finitimos fœdere iungit amor.
Quid fugis ò demens victricia ſceptra Quirini?
Hoc bellante capi, crede, triumphus erit.
Hæc quæ nunc breuibus ſpatijs ſua Regna coercet;
Hæc bellatorum ruſtica turba Patrum;
O quàm felici fatorum lege fruetur!
O felix niueis Romulus alitibus!
Non tantùm Auſoniæ victrix dominabitur omni,
Sed feret Imperium trans mare, & Oceanum,
Agmina Romanos horrebunt Cimbrica faſces:
Ditabit Latium Cypria præda Iouem.
Non Pyrrho virtus, non Poeno proderit æſtus:
Corruet ante tuos, Roma, Ingurthapedes.

Tu duces currus vtroque ab littore oùantes,
Pallidiorque fluet ſub tua Regna Tagus.
In Latias Aquilas fruſtra latrabit Anubis,
Cum Ptolemæa tu potiere Pharo.
Ah tandem, Volſci, fatali cedite Romæ:
Cedite; & hoſtiles ponite mente dolos.
Hæc vos excipiet gremio, ciueſque vocabit
In ſceptrum; & ſocias ducet in arma manus.
Hæc vobis pia mater erit, facietis vtramque
Vnam animis vrbem, coniugyſque ſacris.
Euenere: ſuos hùc miſit Roma colonos,
Hoſtibus & victis ciuica iura dedit.
Veſtraque marmoreis donauit numina templis,
Iuſſit & ornatu cuncta nitere nouo.
Addidit & turres, & propugnacula muris,
Signaque Phidiacæ detulit artis opus.
Prætulit & Tiberi dilectum Caius Antium,
Inferre auſpicium hùc grande, Deoſque parans.
Quìd referam portus, ſæui monumenta Neronis,
Et vetitas patrium tundere littus aquas?
O quantùm ante alias Romana potentia gentes
Viribus egregijs conſpicienda nites!
Helleſpontiaco minitantem vincla profundo
Xerxem indignatum Græcia riſit ouans.
Id Romæ luuit: potuit nam molibus altè
Iactis, fræna tum continuiſſe mare.
Indomitum clauſit nec tantùm carcere pontum,
Sterneret vt tutum puppibus hoſpitium;
Verùm vt torpenti piſcis ſecurus in vnda
Luderet, hybernas negligeretque minas.
Ingluuies Romana ſibi ſic prodiga portus
Struxit, vt inſanam paſceret arte gulam.

Aſpicite has rupes, Centaurica ſaxa; Gigantum
Dicetis validas hæc ſtatuiſſe manus.
Nil intentatum diues ſolertia linquit:
Stultitiam nimiæ nam patiuntur opes.
Omnia ſed victrix audet ſuperare vetuſtas;
Nil mortale diu ſubtrahiturque neci.
Eheu Volſcorum nil ſunt niſi nomina terræ,
Heu vbi nunc ædes, atriaque alta iacent?
Ducti templorum periere ad sydera ſumptus:
Paſcitur herboſas tarda iuuenca domos.
Perque theatrales horrenti clade ruinas
Fortis aratra manu curua bubulcus agit:
Quà cantus, molleſque iocis viguere choreæ,
Ad fontes potum fiſtula ducit oues.
Magnanimum Heroum inſultant armenta ſepulchris:
Oſſibus illiſis grandia raſtra ſonant.
Quid iuuat audaci montes tenuaſſe ſecuri?
Vmbris antiquum quid ſpoliaſſe nemus?
Quidue Chariſtæas optare in fulcra columnas,
Vt niteat diti fronte operoſa domus?
I nunc, tolle animos, ò ſpiſſi littoris Antium:
Vrbs meditare tuam ſemiſepulta necem.
Ah miſeram! verſæ tardaris imagine formæ.
Teque tuo ſtratum littore non reperis.
Quis me Fortunæ doceat quà nobile templum
Iam ſteterit priſca Relligione ſacrum?
Fama eſt hùc dubijs petiſſe oracula rebus,
Et reſponſa domum certa tuliſſe Patres.
Vana Superſtitio regnantem credidit olim
Fortunam, atque illi numen ineſſe Deæ.
Extaque taurorum, Nabathæaque thura profanis,
Reddebant aris, dum ſibi fata rogant.

Hic

Hìc multas optabat opes ; aſt alter honores,
Stantiaque in plauſum plena theatra ſuum.
Hic ſibi velocis poſcebat dona quadrigæ,
Præmia Circenſis pulueruleuta fugæ.
Nauta leuis auras, mercator lucra petebat:
Durus fecundi ruris arator opes.
Sic natum in caras hominum genus, ægraque mentis
Somnia, liba tulit numen inane colens.
Non ege te Superùm, Fortuna, in ſede locabo:
Vota mihi ante aras nec nocitura feram.
Non ea mens animo: pereant qui diuitis auri
Pondus amant, vinctum gloria quemque rapit.
Sanum poſco animum, Virtutis amore calentem,
Fortiaque in vitæ munera membra peto.
Dum bene ſit capiti, mentis ſedemque tumultus;
Cætera diripiant irrita vota Noti.
Has mihi non audax vires in prælia poſco,
Aduerſa vt ſuperem caſtra timendus eques:
Totus & ære nitens fuluo, criſtiſque decorus,
Scandam veloci mœnia capta pede.
Non vt marmoreos poſtes miratus adorem,
Limen & inſomni milite ſollicitum.
Viſcera ſint alij Regum, felixque vocetur,
Curarum Princeps cui graue credit onus.
Nil ſemper reticenda moror, trepiduſque potentis
Sit procul à nobis pallor amicitiæ.
Me coluiſſe ſacras Parnaſſi in vertice Muſas,
Et veterum ſcriptis inuigilare iuuat.
Hæc fuit, hæc nobis à prima cura iuuenta:
Inſitus hic noſtro pectore feruet amor.
O vtinam valeam, corpuſque fidele labori
Proſpera Palladio dent mihi fata ſeni!

Tûm mihi Naturæ libeat cognoſcere cauſas,
Cur celer obliquum permeet annus iter?
Quam teneant elementa fidem? quæ ſemina rerum?
Corpora diffuſum num per inane volent?
Noſcam ego, quæ tellus, & quæ miracula ponti
Salſa fluentiſonis occulit vnda vadis.
Herbarum vires diſcam, ſuccoſque ſalubres:
Rimabor ditis fulua metalla ſoli.
Qui coeant, vaſtaque iterum fornace liqueſcant;
Artifici lympha; cur labefacta fluant
Sulphura? fœcundumque ſalem, roremque fugacem,
Balſamaque, & flores noſſe laboris erit.
Vulcano monſtrante viam, flammiſque magiſtris,
Experiar clauſos rerum aperire ſinus,
Sic ego, ſic doctæ traducam tempora vitæ;
Si longæua mihi tempora fata dabunt.
Hei mihi! quid cupidam mentem ſpes lactat inanis;
Nunciat extremos ſi mihi Parca dies?
Angor iam multos obſeſſis faucibus annos;
Mentis & interpres ſanguine lingua tumet.
Ipſe dolor prohibet dulcis commercia vitæ,
Elidens rauca, guttura, vocis iter.
Huc ades ò multo tandem exoptata dolore
Si qua daris noſtris, ò medicina, malis!
Huc venias miſerata, tuos modulabor honores,
Quæ me naturæ, reſtituaſque mihi.

GABRIELI CABRERÆ.

AETHERA Romuleum, vt linquam, ſolemq; paluſtrem,
Atque intempeſti noxia rura ſoli.
Cabrera hortaris, cælum ſpõdeſque ſalubre;
Qua Zephyri nutrix intepet ora Ligus.
Teſtariſque viros, quos iam damnauerat Orco
Atropos horribili falce minata necem.
Pæonia fractos cura, morboque rebelli,
Iſtic non longa conualuiſſe mora.
Hæc mihi tabentis præbes ſolatia curæ;
Artibus his miſerum, dulcis amice, leuas.
Deſinè, iam didici nullam ſperare ſalutem;
Spes mihi vicini funeris vna ſalus.
O ego ne tali torperent membra dolore,
Quàm mallem aerio in monte rigere lapis!
Stare flagellanti pinuſque obnoxia Cauro,
Aut rupes, vaſti quam ferit ira maris.
Felicem Niobem, cuius per viſcera ſenſum
Obtundens fertur diriguiſſe ſilex.

Vos quoque populeo flentes ſub cortice fratrem
Felices Nymphæ, quas alit amne Padus.
Ille ego ſum, ſaxo qui non includor in vllo:
Ille ego cui miſero robora ſilua negat.
Robora ſilua neget, ne fiam immobile ſaxum,
At ſaltem in cineres oſſa minuta ruant.
Quid faciam patria demens tellure relicta?
An puto mutatis poſſe valere locis?
Mecum cauſa mali latet hoc in corpore peſtis,
Et niſi poſt lethum non abitura lues.
Pectore transfoſſo Gortynia tela gerenti
Quid ceruo prodeſt carpere prata fuga?
Alcidæ induto feralia munera nuptæ
Nil varij curſus, profueruntque viæ.
Sic mihi, ſi auſo Romana excedere ſede,
Nil dulces iuuit deſeruiſſe lares.
Me modò conſpexit piſcoſi littoris Antium;
Me modò Circæi culminis alta domus.
Et Læſtrygonios nutrix Aeneia fluctus
Mirata eſt noſtra diſſiluiſſe rate.
Non Caieta mihi, non Vrbs gratiſſima Caio,
Aut dedit optatam filia Solis opem.
Vos ſeptem gemini colles, regnata Quirino
Mœnia, Tarpeius tu Ioue dignus apex;
Accipite hanc animam, ſint hic mea funera poſco,
Et buſta accumulet noſter auita cinis.
At quondam antiquos iuuit liquiſſe penates,
Et noua per longas quærere fata vias.
Ingenium ſcrobibus mutatis exuit arbor
Sylueſtre, & decorat latior arua comis.
Quamque ſub vmbroſa cernis languere parente
Gaudet mutato laurea ſilua ſolo.

Quid

l foret Aeneas, quid clari nomen Iuli;
lumina apud Xanthi ſi gemuiſſet iners?
n fumanti poſtquam diſceſſerat vrbe
er maria errantem ſeptima vidit hyems.
idem dotales Laurentum venit in agros,
'eſſit & Auſonia ſceptra timenda manu.
to Cyrenas; & Cadmo condere Thebas
uppiter exilys arua petita dedit.
us & excipiens longis erroribus actam
Donauit templis, Inachi, te profugam.
e quoque fata vocant alio meliora ſub axe;
Ibimus, ò Socij, me quoque fata vocant.
rtuntur ſpecies mentis, verſante dolore,
Menſque breui ſenſus accipit æra nouos.
es bona; ſi qua Dea es, virides hùc flecte volatus;
Et deſueta diu numine corda faue.
e colit agricola, expectat te compede vinctus,
Votaque mortalis te duce turba facit.
u quaſſas reficis puppes, vt nauita remis
Naufragus impellat qua modò nauit aquam.
u Dea poſt vacuas cœleſti numine terras,
Iuſtitiæ que fugam ſola moraris humi.
Diua veni, facilemque mihi promitte quietem,
Neue iterum morbi damna timere velis.
Longum iter aggredior. date læti candida amici
Omina; eat dextra libera puppis aui.
Lunai vt videam portus, purique metalla
Marmoris, & Geticas ſaxa imitata niues.
Ingaunos, Macramque inter, Varumque repoſtos
Appeninicolas, Tigulioſque ſinus.
Delphini portus, Seggeſtam, arcemque Monœci;
Scrutaborque tui, Rutuba, fontis aquas.

Aſpiciam Genuam, lati & prætoria ruris,
Quæque decent Superos lucida templa ſuos;
Hæc Tarteſſiaco palleſcunt littora fluctu;
(Aurea necquiquam flumina iactet Iber)
Peruiæque amnes alieni flumina mundi
Transfuga ab Oceano rura per iſta fluunt.
Lydia Pactoli, Baccheia munera, arenas
Victa file, & ripas, aurifer Herme, tuas.
Dure Ligur, meritoque animis elate ſuperbis,
Qua tibi diuitias ſedulus arte paras?
Non tibi ſunt culti colles, non pinguia rura;
Sed clauſtra Alpinis non adeunda iugis.
Difficilis natura negat ſegeteſque, feraſque;
Non negat audaci mente vigere viros.
Hæc trahit ignotas pretioſa in fœdera gentes,
Cæruleaſque docet currere puppe vias.
Deeſt hìc terra viris, at non Neptunia deſunt
Arua petituræ lucra beata rati.
Sit Cypros vallata mari; ſcit Taurica tellus;
Et Ligure epotus milite ſcit Tanais.
Teſtes Alphe Tyrrheno in littore Piſæ,
Teſtis Cyrnæi prægrauis ora ſali.
Aſt ego non dites veniam ſpectator in oras,
Vt moueant auri lumina capta ſitim.
Non cernam attonitus fulgentia pondera maſſæ,
Quæ mittit terris Hiſpalis Auſonijs.
Sat Fortuna dedit cenſus ſine fraude parati:
Aeſtuat infelix, qui potiora cupit.
Ingenium, Cabrera, tuum mihi carius auro,
Atque erit eloquij plurima vena Tagus.
Quando erit, vt liceat tecum conſumere ſoles?
Quando erit, vt docto pendulus ore fruar?

Vna

Vna aderit mecum Phocæo iunctus amore
Ciampolus, ille tuæ cultor amicitiæ.
O qui complexus, quæ mutua gaudia nobis,
Et ſermo in ſicco littore qualis erit!
Interdum celeri rapient nos eſſeda curſu;
Tres modò cantantes picta carina vehet.
Tunc mea ſe duplici iactabit Arione puppis,
Non Sicula puppis fallere docta fide.
Cumque mihi geminos vates audire licebit,
Parnaſſi geminum me ad iuga ſiſtet iter.
Teque tenens dextra verſus, Cabrera, canentem
Hæc Clario dicam verba docente Deo.
O quàm felici modularis carmina cantu,
Quàmque lyræ docto verbere fila moues!
Otia quærenti fulſit tibi dexter Apollo,
Atque omnes hauſtus ex Helicone dedit.
Cui tantùm fauere Deæ? canit ecce cruentus
Prœlia Mæonides; ſed caret ille lyra.
Alcæus Reges cythara, non cantat amores:
Eſt tantum Sapphus carmine dictus Amor.
Pindarus Aoniæ celebris teſtudinis arte
Abſtinet heroa concinere arma tuba.
Et Veneris dominæ ſi luſit Teius ignes,
Mimnermuſque iocans; gaudia ſola canunt.
Omnia tu miſces, & quæ diuerſa placebant,
Colligis, ò verè candide Cycne Ligur.
Auſus es Iſmeni primus recludere fontes;
Lesbia nectareæ plectra ciere chelys.
Qui Methymnæa tentaſti fulmina linguæ;
Et Cæi lacrimas, Steſichorique minas.
Si Florentinam circumdas mœnibus vrbem;
Non Amphionios inuidet illa modos.

Nar-

Nurſeti Gothos cogis dare terga ſequenti;
Odryſiaque leuas obſidione Rhodon.
Salue ſancte ſenex, Bacchi, Phœbique ſacerdos:
Numinibus ſalue maxima cura nouem.
Per te Graiorum libris tumefacta ſuperbit,
Et certat Latijs Itala Muſa choris.
Sabbatiæ gaudete arces, gratiſſima Cœlo
Mœnia, fœlici prole verenda virum.
Et quamquam egregium terris aluiſtis Iulum,
Indaque ſunt veſtræ littora dona ratis;
Vltima non vobis accedet gloria Vates,
Ignea qui veſtrum nomen ad aſtra tulit.
Appulit ignotis oris ſi claſſe Columbus;
Hunc ad Cœlicolum limina fama rapit.



VLVIO TESTIO.

Queritur, ſe loquendi vſum morbo amiſiſſe.

VOX animi interpres, fecundæ nuntia mentis,
Quo fugis? an ſemper labra ſilere iubes?
Tu dulci oblectas mortalia pectora cantu,
Efferaque vnanimi fœdere corda ligas.
plectri, citharæque comes tibi carmina curæ,
Quæque colit ſoccus, quæque cothurnus amat.
ſtupet vndantis moderantem frena theatri
Vulgus, & iratum ſub tua iura venit:
ctaque ſunt tenero per te commercia mundo,
Cum poterat quernum nos aluiſſe nemus.
ò fugis, & nulla linquis te voce vocantem?
Non voco, ſed lacrimæ pondera vocis habent.
er anhelantis ſuſpiria pectoris, ægros
Heu quos elicio rauca per ora ſonos!
dere luctamur ſterili reuoluta palato;
Sed ſingultanti murmure verba cadunt.
on ſecus optato per credita membra ſopori,
Cum ſerpit dulcis nocte fauente ques.

Velle

Velle loqui, & vanis conatibus ora videmur
Soluere; ſed ſolito lingua vigore caret.
Sæpè meas odi voces, ſonitumque tremiſco,
Cogor & ipſe meis auribus eſſe grauis.
Mugitus timuiſſe ſuos ſic creditur Io,
Turpia dum mœrens induit ora bouis.
O quoties conata queri tibi inutilis hæſit
Lingua nec humanos reddidit ore modos!
Inachidas quoties auxiſti fletibus vndas
Ingrati plorans impia furta Iouis!
Frondibus hirſutis & amara carice paſtæ
Pocula limoſis ſtagna fuere vadis.
Sæpius exhibuit decerptas Inachus herbas;
Aſt illa eſt patrias lambere viſa manus.
Felices quoſcumque malis Fortuna laceſſit,
Nec ſua per fletus damna referre vetat!
O fortunati vos prata per Aſia Cycni,
Dulcius extremo queis datur ore queri.
Condita ſiluarum latebris felicior Echo,
Cuius poſt cineres vox redimua viget.
Me dolor aſſiduus vicino funere terret,
Nec patet ad queſtus libera facta via.
Teſtari fremitu docuit natura dolores:
Solari curas hac iubet arte graues.
Audi, mugitu quo verberet aera taurus
Ictus, vbi tepidam ſanguine tingit humum.
Quin leo per Nomadum ſiluas fremit ore cruento,
Si fodit Libyci militis haſta latus.
Et gemitu tigris montes, ſaltuſque fatigat,
Ventris cui rapuit pignora Parthus eques:
Atque vbi captiuis venere in retia pennis,
Emittunt querulo gutture murmur aues.

Nec

Nec tantum exclamant viuenti prædita ſenſu;
Sed viduata anima corpora pulſa fremunt.
Dant percuſſa ſonum vibratæ ligna ſecuri:
Stridet dum cuneis fiſſile robur hiat.
Et ſtipulæ crepitant campis, ſi incendia regnant,
Obſtrepit & rapidis laurus adusta focis.
Aſpice, quo ſonitu feruentia littora plangant,
Spiritus Eurorum cum ferus vrget aquas.
Septaque nimborum rutilus ſi diuidit ignis,
Murmure terrifico nubila fracta tonant.
Omnia muta ſonos edunt, ſolique negauit
Sors mihi communi munere poſſe frui.
Me miſerum! quantus de vertice profluit humor!
In fauces quanto gurgite lingua madet:
Spiramenta animæ nimium turgentia torpent,
Sermonique fluens obſtruit humor iter.
Haud aliter citharæ languent, neruique loquaces,
Cogit vbi pluuias Auſter opacus aquas.
Cordis anhelanti reboant penetralia tuſſi,
Pectoris & crates diſſiluiſſe timent.
Quid me adeò ſpirare vetas, ſæuiſſima tabes?
Cur feruens animæ clauſtra repulſa quatis?
Hei mihi! dum ſcribo, morbi ſolatia, verſus,
Quàm valido thorax impete concutitur!
Mitius incudem Cyclopum brachia tundunt,
Quà vomit è ſcopulis Sicelis Aetna faces.
Mitius aduerſas miles ferit ariete turres,
Et graue baliſtæ mœnia quaſſat onus.
Opprimet hanc animam rabidi violentia morbi:
O vtinam Dij me falſa timere velint!
Non lethum timeo; genus hoc ſed lugubre lethi;
Et doleo taciti tædia ferre mali.

Odry-

Odryſius raptor poſtquam tibi forcipe linguam
Abſtulit, & ſtabulis, ò Philomela, lates;
Sæpe optaſſe mori, palmaſque ad ſydera tendens
Diceris id ſummos ſæpe rogaſſe Deos.
Ah virgo infelix, pellex incæſtat ſororis!
O nimium ſæuo credita forma viro;
Hæccine, crudelis, pro virginitate reponis
Erepta, tragici præmia comcubitus?
Tempus erit, Tereu, cum te peccaſſe pigebit,
Oderis & ſæua gaudia rapta manu.
Indicium ſceleris, tua crimina, tela fatetur:
Ingenium miſeris ſuggerit arte dolor.
En gęſtit patrijs epulandum apponere menſis
Inſontem furijs percita mater Itym.
Tu nati condens viuenti viſcera buſto;
Mox tua per ſiluas fata dolebis Epops.
Exultat cædes inter Philomela, parenti
Oſtentans nati ſanguinolenta caput.
Euaſti tandem furias, gladiumque Tyranni:
Vidiſti pluma prępete membra tegi.
At nunc per lucos iniuſta ſilentia linguæ
Quæſtibus argutis blanda rependit auis.
Quōs nunc ore modos nemoris dulciſſima Siren
Concinit exiguo in gutture? quale melos?
Interdùm voces per roſtra loquacia torquet;
Sibila nunc cæſa garrulitate rotat.
Et modò criſpanti modulatu turbinat ictus;
Secum viſa loqui nunc taciturna gemit.
Perſonat omne nemus, per frondea tecta querelas
Mirantur Nymphæ, Capripedeſque Dei.
Non mea me poſt fata manet facundia linguæ;
Non iterum dulci garrulus ore fruar.

Prob,

Proh cithara cuſtos, & carminis auctor Apollo:
Proh mea Pierides numina ſacra Deæ:
Reddite poſcentis felicia murmura labris,
Demite, quæ cogunt ora ſilere moras.
Vos regitis cantus, vos torrens copia fandi,
Et celebrata iuuant libera verba choris.
Quid faciam, ſurdas præbet ſi Delius aures;
Nec mea Caſtalia labra leuantur ope?
Carmina iam valeant Muſa meditata ſiniſtra;
Cum Domino valeat iuſſa tacere chelys.
Auſonij Vates, & concita pectora thyrſo,
Auſonij, Lycio nomina grata Deo;
Auſonij noſtras ſoliti laudare Camenas
Deſinite ad cantus turba venire meos.
Tu verò ante alios fruſtra mea carmina quæras,
O. FVLVI, Mutinæ gloria magna tuæ.
Tibia te, cantuſque decent: mihi plectra pacenti
Hic paries, mutam ſuſtineatque lyram.
Non tibi ſunt triſtes curæ, lætuſque iuuentæ
Purpureæ vernas ſtat vigor ante genas.
Et tibi naſcenti iucundo lumine Phœbus
Annuit, & flauis Calliopea comis.
Felix, ſeu dulces molli fide flebis amores,
Seu grauis heroas flumine fundis opes.
Tu tunc feſtiuus periuria ludis amantum,
Et iacta ad ſurdas ebria verba fores.
Tu centum ludos, & dulcia prælia miſces,
Hauſtaque de menſis libera vina refers;
Vtque ferens hyemes, ventoſaque iurgia cœli.
In nuda recubet durus amator humo.
Auguror: hoc miſeros cantu ſolabitur ignes
Expectans lentum mœſta puella virum;

In-

Inuenienſque ſuas referentia carmina flammas
Immoritura labris oſcula longa dabit.
Huc varios flores, huc blandi veris honores
Ferte citi Iuuenes, Italideſque nurus.
Blanditi veſtro date florea ſerta Poetæ:
Cingite ridenti tempora docta roſa.
At Venus Idalio plaudens te cernet ab axe,
Ambroſioque tuum rore rigabit opus.

Relicta Vrbe cupit Rus ſecedere.

AEGERIAE valler, mitique habitata Diana
Pura Thoantæi neſcia ſilua ſacri.
Vſq; lacus Triuia dites Nemorēſibus vndis;
Aeneadum ſedes, Lauiniumque meum;
Confectum curis, & longa tabe dolorum
Accipite, & patrijs ſiſtite me laribus.
Irrita Pæoniæ poſt tentamenta medelæ.
Huc libet ægrotos nunc mihi ferre pedes.
Romuleæ valeant arces medicique valete,
Quorum ſæpè malo ſedula cura fauet.
Deſinite herbarum tandem, triſtiſque veneni
Fer te procul dura pocula tincta manu.
Me nemora, & ſaltus camporum, auræque patentes,
Et trepidans riuo garrula lympha manent.
Prata mouent animum viridantia gramine lato,
Et qui perſultant pinguia rura greges.
O mihi ſola ques, colles ſaluete latini!
Saluete, ò fratris Regna vetuſta mei.
Sternite iter, gradimur dum veſtra per otia dia,
Mollius, atque ambus dulcius arua ſonent.

Quàm iuuat annoſos luci penetrare receſſus,
Notaque ab hiſtorys hæc celebrare loca!
Hæc tophis laqueata cauis, & pumice viuo
Antra pius fertur iam coluiſſe Numa.
Collis Aricini cultrix pulcherrima Nympha
Conſilium huic olim, coniugiumque fuit.
Hac Duce Pompilius bellantem terruit Vrbem:
Hinc habuit patrios ruſtica turba Deos.
Martis opus, pilis gaudebat Roma cruentis.
Romula criſpabat bellicus arma furor.
Et fuerant ſæuas Mauortia pectora in iras
Prona nimis, ſolas tunc meditata neces.
Mollit hæc aris regnans, luciſque ſacratis
Relligio, vt poſſent legibus arma regi.
Hinc vittæ, hinc fruges, hinc maxima victima taurus;
Farraque thuricremis vinaque ſparſa focis.
Tandem, ſanguinea diſcors quæ cæde fremebat,
Palluit in patrys pendula Roma ſacris.
Neſcia mens hominum! quæ te ludibria verſant?
Quid nos terrifica fabula fraude ligat?
Quem non vera tenent, mendacia ficta coercent;
Et ſimulacra timet, quæ ſibi quiſque parit.
Per pecudum fibras, præſagi & fulminis ictus,
Heu miſeri! ſurdos conſuluere Deos.
Nuntia velocis ſeruabant omina pennæ,
Cantibus & ſcauis quid docuiſſet auis.
Templorum ambiguo monitu, dubiaque Sybillæ
Carmine credebant fata furente cani.
Dicite, ſi Diui nolunt ventura latere;
Non intellecti cur voluere loqui?
Falſa tamen Regis potuerunt dicta Sabini
Romulidum ingenium perdomuiſſe ferox.

Nulla-

Nullaque de in fertur Romana ſanctius vnquam
Numinibus ſupplex gens operata ſuis
Veſter honos, Latij; veſtra eſt ea gloria ſiluæ:
Horruit hoc victrix credula Roma nemus.
Has etiam Hippolytum fama eſt laudiſſe per oras,
Cui nouit duplici ſtamina Parca colu.
Ille, nouercales rigidus cum ſperneret ignes,
Sancta timens patrij ſoluere iura tori;
Iniuſta æternùm dolituro victima patri
Occidit attonitis dilaceratus equis.
Oſſa Corinthiacos iacuerunt ſparſa per agros:
Innocuo rubuit ſanguine vtrumque mare:
At non hoc meruit funus miſerata Diana,
Cui cura intacta eſt virginitatis amor,
Arte Coronidæ Iuuenem reuocauit ab Orco
Siccantem infernis vulnera dira vadis.
Reddidit illa decus formæ felicibus herbis,
Luminibus geminas reſtituitque faces.
Quis mihi quærenti, quis nunc ea gramina monſtrat?
O vtinam in veſtris collibus iſta legam!
Germina, quæ referent adamantina limina Ditis,
Non poſco, aut mortis vincere regna paro;
Gutturis obſeſſi longos ſedare dolores
Sat quæcumque mihi blanda medela poteſt.
Adſis Phœbigena: hac facilis labor ora mederi,
Ne te fulminei terreat ignis Aui.
Seruat fida tui Vates tutela parentis.
Tu quoque iam Vates officioſus ama.
Huc medicas adhibeto manus, tetrumque cruorem
Aufer, quo fauces, ſcabraque lingua tumet.
Spiramenta animæ, vocis liquidiſſima plectra
En aperi, & ſeptas tu mihi pande vias.

Lætitia, plausuque fremens tunc carmina dicam,
Cùm lingua potero liberiore frui.
Nil pulsare placet viduas siue carmine chordas:
Vox miscet citharæ non benè rauca sonos.
Quid queror infelix? quæ mentem insania ludit?
En rursus medicæ poscimus artis opem.
In male tentatos iterum cur mittitur vsus?
Ah pereant, succos, gramina quique colunt!
Nulla venenorum sitis est: discedite tristes
Curarum stimuli, diffugite ex animo.
Fallere sæpè iuuat, sed non memorare labores,
Aegraque mens ægri corporis auget onus.
Quin potius lati patriæ succedimus arci,
Quà iuga celsa tuum, Cynthia, nomen habent?
Hæc mecum ascensu dulces superetis amici;
Ante alios nobis, Ciampole, docte faue.
Pone graues Musas, vigilataque mente profundæ
Iiala Pindaricis carmina texta modis.
Tuque ades, ò cantu gaudens, fidibusque, Canali
Franciscе, æternæ cultor amicitiæ;
Grande Sabinorum columen, fontisque Velini;
Huc age cum plectro, carminibusque veni.
Neue hìc potandi certamen mite recuses:
Respicit hos toto numine Bacchus agros.
Pocula Romanis sunt hæc gratissima cænis:
Albani assurgunt vitibus hisce cadi.
Nequicquam his certent prælis elisa Falisci,
Tuscaque quæ viridi nectare musta nitent.
Illaudata fluent firmissima vina Falerni;
Seu Sinuessa dabit, seu Trifolinus ager.
Palmite sulphurei cedant lacrymata Veseui,
Atque Syracusij feruidiora lacus.

Hæc generoſa recens odit doctrina palati,
Quæ poſſunt trepidos implicuiſſe pedes.
Ridentur veterum fumi, ſeruataque cellis
Teſta diu, & lenta dolia tincta pice.
Quare agite, ò læti, vernarum turba, miniſtri,
Dulcia non parca fundite vina manu.
O quàm iucundo violas imitantur odore!
Quàm vincunt flauo lumine chryſolitos!
Naribus iſta placent; oculis ſpectacula præbent;
Et dant arenti gaudia grata gulæ.
Ciampole quid ceſſas pateram committere venis?
Propoſuit ſiccis omnia dura Deus.
Hæc mihi lux atros pellet de corpore morbos:
Largius ò cyatho, tu puer, adde merum.
Pura fauent nobis Aquilonis flamina clari:
Peruellunt linguam pocula acuta gelu.
Me quoque me vultis Lenæo tingere, amici,
Non nego: noſtra capax proluat ora calix.
Maphæi nomen ſed quiſque ad pocula feſta
Dicat io! & menſis hunc adhibete Deum.
Quamuis Socratica pectus ditaucrit arte,
Purpureoſque inter ſplendeat ille Patres;
Non hæc deſpiciet liberrima vota precantum,
Quæ fundit multo mens reſerata mero.
Adſis Bacche tuis hilarans conuiuia donis;
Feſſi pax animi, lætitiæque dator.
Sic tenera viduas vites ducantur ad vlmos;
Sic autumnali turgeat vua ſinu.
Sic non vrantur torrenti ſole racemi;
Det pœnam admorſa ſic tibi ſtirpe caper.
Et tua ſectentur veſtigia marcida ſemper
Capripedes Panes, Baſſaridùmque cohors.

Adſis; virgineoſque fauens hic exere vultus,
Quaſſans pampineo vertice caſariem.
Quacumque ingredcris dulcis comitatur euntem
Te Furor, & Somnus languidiore gradu.
Me miſerum! accipio nullos heu pectore ſomnos!
Longa mihi gemitu nox vigilanda venit.
Quòd ſi, Bacche, tui per feruida munera, nobis
Clauſerit optatus lumina feſſa ſopor.
Dicam ego Threicij crudelia fata Lycurgi;
Squamigeros nautas; pampineamque ratem:
Littera Pactioli fuluis radiantia venis,
Diuitias miſeras impia vota Midæ.
Auroramque triumphatam, Parthoſque ſubactos;
Medica Thyrſigeris agmina fuſa choris.
Tigridis exuuias, maculoſaque tergora lyncum;
Oedipodionij membra cruenta Ducis:
Bacciferos hederæ ſemper viridantis honores;
Lapſaque de quercu ſplendida mella canam.
Tu puer æternus, Bromius, Nyſæus, & Euan,
Bis genitus, thyrſo tu metuende graui.
Aera tibi Satyri laſciuaque tympana pulſant;
Stridet & attritis Faunus arundinibus.
Per te Gnoſſiacis nox aurea fulgurat aſtris:
Vipera plaudenti ſibilat ore tibi.
Ipſe Gigantæo fremeret cum Terra tumultu,
Rhætum ſtrauiſti dente leonis humi.
Hæc ego non humili meditabor carmina cantu:
Sollicitum ſomno tu modò vince caput.

CINTHIO CLEMENTIO

ARCHIATRO ROMANO

Cum vocis vſum recuperaſſet.

DIC AMVS bona verba : animum iam
verba ſequuntur :
Cur taceam ſurdam flebilis ante lyram ?
En libet ; en dulces imo de pectore cantus
Fundere : non renuunt ora recluſa loqui.
Vox mihi muta diù, vox longi cauſa doloris,
Veniſti tandem, vox mihi muta diù.
O & ſingultu, ò & quæſita querelis !
Nunc te felici garrulus ore fruor.
Fallor ? an has ſimulant ludentia ſomnia voces,
Quæque cupit vigilans, mens mihi nocte parit ?
Sed fruor, & liber voces linguamque reſoluo,
Attonitus monſtris dum rata vota nego.
Ite procul queſtus : comptis hìc Muſa capillis
Adſit, & in niueis læta triumphet equis.
Nunc tempus fauſtis pulſare Helicona Camœnis :
Nunc redimire nouo tempora flore iuuat.

At te, magne, canam Clario dilecte Magistro
Cynthie, Phœbæo nomine, & arte potens.
Cum tua vel mutis dorent miracula vocem,
Vocalis citharæ præmia grata feres.
Per te hausi cœlum moriens, mentemque recepi,
Pectoris arcta patet, te referante, via.
Ergo Castalij quodcumque è pectore riui
Fluxerit, in laudes effluet omne tuas.
Si mihi Pæonijs implest pharmaca succis;
Mella ministrauit si misserata manus;
Nos tibi Musæo flauentia pocula melle
Et Charitum puro pinguia lacte damus:
Hæc bibe, quæ nentum Parcarum fila morantur,
Pocula lethæo non temeranda lacu.
Tu domitor Fati Patareæa nobilis arte,
Eripis è structo funera mæsta rogo.
Tuque potestates herbarum, tùque metalla
Chymica, tu miris pharmaca cocta focis.
Nouisti, priscis quæ quamquam ignota magistris:
Mortem expectantum corpora fessa leuant.
Cum mihi tabentes macies exederat artus,
Cumque fere tenui corpore nullus eram;
Iam tum spondebas dulcis mihi lumina vitæ;
Gutture ab obsesso libera verba fore.
Nec mora: sulphureis medicatas viribus offas
Artifici nobis sedulus igne paras.
Hæ mihi mandenti latebras pulmonis anheli,
Fouere, & lenta tabida membra lue.
Hinc validi ardentis flores rediere iuuentæ;
Squalidaque afflauit pristinus ora color.
Sulphura, ceruleis fulgentia sulphura flammis,
Quando ego vos merito laudis honore canam?

Vos

Vos tonitru terras, cælum vos omne cietis,
Fulminibuſque Iouis ſemina magna datis,
Cum Pater ingenti combuſta Ceraunia telo
Deiecit, & fracto culmine vertit Athon.
Per vos exundant inimicis ignibus arces,
Terrifico ſonitu Martiaque æra tonant.
Balnea quæque fluunt triſtes pellentia morbos
Gignitis; hic veſtro truditur igne lapis.
Intepet inde Aponus, mediciſque ſalutifer vndis
Stagna Dicarcheus feruida ſudat ager.
Quin etiam veſter magnæ per viſcera matris
Spiritus igneſcens cruda metalla coquit.
Fulgurat hinc aurum, atque argenti flumina viui,
Vulnificuſque chalybs irriguo amne riget.
Quid maiora ſequar? vos & primordia rebus
Acri ſufficitis ſulphura mixta ſali.
Quique fluit voluens tenuis ſe fluctus odorum,
Perpetuas veſtro ſumit ab igne dapes.
Quid memorem, Enceladi vinax poſt fulmina corpus
Ardua ſulphureis vt premat Ætna iugis?
Et Iouis Inarime iuſſis impoſta Typhœo
Quanta rotet ſcopulis ſulphura glauca cauis?
Sulpour ouans pœnas fracta de gente Gigantum
Sumpſit, & hoc Cœlum vindice regna tenet.
Nec non luſtrali purgari ſulphure fontes
Religio antiquis credita fertur auis.
Actoridem, Pelea ſic Pelea ſoluis, Acaſte,
Amphiaraidis ſic, Acheloe, nefas.
Sic ego ſic puro luſtratus pectore tandem
Carmina lætitia fauſta docente cano.
Adſitis Muſæ medicinæ talis, & artis,
Voſque repertori mollia ſerta date.

Ah!

Ah! gemat antiquis si quis tantum adstupet annis,
Spernit & ætatis dia reperta nouæ.
Omnia non potuit prudens reperire vetustas,
Atque alia ex alij extudit arte dies.
Phœbigenæ cœptis potuit præcepta Melampus
Addere, Phylliridis multaque cura dedit.
Vlceribus tetris natiui graminis herba,
Vulneribusque cauis prima medela fuit.
Mox & morborum tristes extinguere pestes
Inuentum est ausis, inclyte Coe, tuis.
Non adeò effœta est hominum experientia solers,
Vt noua non possit cudere sæpe labor.
Ni noua tentasset Tyrrhena per æquora Amalphis,
Magnetum haud regeret nautica vela lapis.
Huius at auxilijs olim cantata Poetis
Ridetur veterum gloria parta mari.
Arctos nunc propior nobis, nec iam vltima Thule est:
Iam facilis lustrat nauita Solis iter.
Extra hominum, famæque vias tentare reposta
Ausus es audaci littora puppe, Ligur.
Garrula cede nouis tua sydera puppibus, Argo,
Neu regum iactes ad tua transtra manus.
Tristia iunguntur veteris diuortia mundi,
Naturæque patent, quæ latuere sacra.
Nascentem populis licuit te, Nile, videre,
Et scit cui tantas debeat orbis aquas.
Nouimus, æstiuæ fecunda licentia lymphæ
Solstitijs hyemes cur ferat amne suas:
Zona rubens nimijs non torreat æstibus Indos.
Illic perpetuò rore uiresçit humus.
Non Eous ager pluuiali supplicet undæ.
Indica continuis imbribus arua madent.

Hæc

Hæc Zephyri alarum plauſu loca feruida muleent,
Mitis vbi halantes Eurus alit ſegetes.
Taprobane teſtis, teſtes freta ſparſa Moluccis,
Ora Helenæ inſignis nomine teſtis erit.
Aruaque, quà Ganges aurata pinguis arena
Egerit in dominum fulua tributa mare.
Quìd, quòd & Arctoi laxantur clauſtra profundi,
Quà fluctu, & ventis æquora dura carent?
Dilectæ Thetidi Belgarum ſtantia naues
Marmora ſulcarunt non adeunda rate.
Illic, vt perhibent torpeſcit frigore pontus,
Atque intempeſtus ſtat ſine luce dies.
Hìc rerum finis, Chaos hìc, atque vltima mundi
Natura hoc triſti limite feſſa riget.
Velà Bataua ſequi haud potuit Phœbeia lampas.
Omnia cæca illic: omnia triſte ſilent.
Informes phocas incano corpore turpes
Videre, atque vrſos, quos alit Vrſa gelu.
Quam ſæpè optarunt ventorum prælia nautæ,
Perque procelloſum pandere vela fretum,
Excuterent tandem ſeſe vt torpentibus vndis?
Edocet ire recens in noua vota timor.
Indomito tandem règnans in pectore virtus
Vicit concreti ſæua pericla ſali.
Ite, animæ egregiæ, fortunatæque laborum,
Ite in fata alacres, quò noua fama vocat.
Ite citæ, & veſtras meditando exponite vires,
Quà veterum nullo ſemita trita pede eſt.
Gloria multa manet. Quis te Galilæe ſilebit?
Longa tibi in chartis regna futura cano.
Non tantùm radio veterum deſcribere cœlum,
Sed vitro es ſuperas auſus inire domos;

Per-

Ad Ioannem Ciampolum, morbo recrudescente.

ERGO hos assiduè gemitus in pectore voluam?
Perpetuò lacrimæ nostra per ora fluent?
Et roseo Phœbus me decedente videbit
Lumine mœrentem, me veniente die?
Flebimus heù miseri! luctus solatia damnis
Exigua ingentis postulat ipse dolor.
Ille Philoctetem docuit per Lemnia saxa
Vocibus horrisonis vulnera dira queri.
Halcyones Ceyca gemunt, & barbara Regis
Daulias Odrysij crimina cantat auis.
Sic ego, sic mea damna querar crudelia semper
Lugubri cithara, flebilibusque modis.
At que vtinam in gemitus nunc libera verba darentur!
Sed mihi posse queri sors inimica negat.
Singultantem animam turgentes sanguine fauces
Elidunt: voces aspera lingua premit.
Iam quater ardentem sitienti Syrius astro
Vsſit humum; toties frigore læsit hyems;

Nec

Nec venit vlla potens longo medicina dolori,
Nec mea Pœonia membra leuantur ope.
Ipſe meum ſpecto moriens miſerabile funus,
Paulatimque anima deficiente cado.
Horrida languentes macies depaſcitur artus:
Lutea palleſcens inficit ora color.
Cogimur & longam moriendo diſcere mortem,
Dum præſaga mali mens ſibi fata canit.
Felices, inopina dies quos funere mergit,
Occupat & celeri mors properata nece!
Heu quoties morimur, dum proxima fata timemus!
Hæc peius letho nam mora mortis obeſt.
Haud aliter Lapithas, mœſtumque Ixiona terret
Iam iam lapſuro pondere prona ſilex.
Credite, deficio: iam pellis dura reſiſtit
Tractanti, & triſti viſcera tabe fluunt.
Sic cera admotis tabeſcit Hymettia flammis;
Sic tepidis Auſtris cocta pruina madet.
Languent ſic, vrens oculus quos faſcinat, agni;
Sic tenera à Scythico laditur herba gelu.
Nec tantùm doleo compreſſis faucibus ager;
Plurima quaſſato corpore damna fero.
Ipſam animi ſedem, regnantem corporis arcem
Nunc caput ignauo poſſidet igne vapor;
Nunc acres ſtomacho rabida cum bile tumultus
Feruent, & ſæuo pondere diſcruciant.
Laſſum percurrunt vlulantia murmura ventrem,
Humida nec membris dant alimenta dapes.
Viuo equidem parcè. ſed mox ieiunia corpus
Attenuant: epulis abſtinuiſſe graue eſt;
Intolerabilibuſque malis comes addita cura
Mollem animum æternis paſcitur vlceribus.

Hanc

Hanc peperit morbus, morbuſque augetur ab illa,
Hæc me triſtitiæ lurida ſelle rigat.
Hinc ſæpe extimui graviora pericula veris,
Et ſenſi falſa ſuſpicione trahi.
Hinc animi victus damno quemcumque calorem;
Quodcumque & frigus pallida membra quatit.
Compoſitæ currant num vitæ ad munia venæ
Exploro, & trepidans incaluiſſe puto:
Seu quatior tuſſi, fibras pulmonis anheli
Exeſas carie ſuſpicio eſſe truci.
Conueniunt crebrò nos, vt ſolentur, amici:
Spem vultu ſimulant, triſtitiamque tegunt.
Ah genio indulge; curas depelle malignas;
Clamant: tu morbo Virgini amate faues.
Ecquis erit finis lacrymis: lugubria mitte;
Eia age linquantur mollia fulcra tori.
Te ſilua, te rura vocant; age rura petamus,
Quà diffuſa nitet mitior aura poli.
Aucupio ſiluas. ſiluas venatibus aptas,
Flumina, piſcoſos aſpicieſque lacus.
Hinc canibus lepores, canibus ſectabere ceruos;
Latratuque feras retia ad alta premes.
Scilicet è ſtratis tollam miſerabile corpus;
Committam Alpinis ſqualida crura iugis?
Fortia non noſtræ ſunt hæc ad munera vires:
Hi mihi ſunt colles, hi mea regna, tori.
Officium bona verba pium, ſed inutile tentant:
Deſinite, aſſiduis non ſatior lacrimis.
Quid quòd me cœli lædit ſpirabile lumen,
Quo regimur, quauis mobilis aura nocet?
Lethiferi calidis ſpirant ſeù flatibus Auſtri;
Sine agitata truci ſilua Aquilone fremit;

Expe-

Et quoties ſiccum poſſem vt diſtendere corpus,
Aeſtiui membris intepuere lacus?
Victum infelicem cochleæ, cancrique dedere,
Et teſtudineo ſquallida iura gelu.
Quin ſunt conati ſtomachum fulcire ruentem
Arboribus gummi quod gemit Arabia.
Balſama miſcuerunt diti Gangetide merce,
Et quæ vltimo cinnama ſole rubent.
Sinarum extremo diuulſa ab littore radix
Venerat. & nulla me quoque iuuit ope.
Aude animis. tibi certa ſalus promiſſa medentum
Dicebant; nunquam venit amica ſalus.
Obſtitit auxilijs vitiax in fomite labes
Artis, & irriſit vana magiſteria.
Non hoc Phillyrides, non hoc laudata Melampi
Cura Amythaonij pelleret arte malum
Tunderet in morbos Epidauria gramina fruſtra
Inclyta Phœbigenæ nos miſerata manus.
Non gemitus ſuperi noſtros audire perennes,
Adiuncta quamuis ſuſtinuere prece.
Parce pium Numen, cœli quo templa reguntur,
Cuius & imperium ſydera fulua timent.
Si non ſacrilega mens eſt ſibi conſcia culpa,
Reddimus eſt templis ſi tibi ſemper honos;
Parce precor, vel ſaltem aliquam de fulmine partem
Deme meo; ſæua proyce tela manu.
Nunc & amara dies, & noctis triſtior vmbra eſt:
Quam mallem æterno dirigniſſe gelu!
Ipſa quies rerum Somnus, Deus vtilis ægris,
Me fugit, & lacrimis lumina feſſa patent.
Verſamur ſtratis, & nox eſt annua nobis:
Tarda nimis querimur ſydera Luciferi.

Quòd ſi conciliant depaſta papauera ſomnum,
Me miſerum hic quantis terret imaginibus!
Occurrunt menti ſimulacra oarentia vita,
Viſaque ſunt tenui dicere voce veni.
Ora virum macra viris pallentia vultu
Exangui illudunt, diſcutiturque ſopor.
Tunc iterum ad gemitus eadem nos horrida morbi
Damna vocant, nec iam falſa timere iubent.
Lenta tenent animum faſtidia; nulla voluptas
Flectit; non Bacchus, non iuuat alma Ceres.
Squallent impexi rigida cervice capilli:
Veſtis incrnatos defluit ante ſinus.
Non Vrbis, non ruris opes, auruque talenta,
Eoaeque placent delitia lapidum.
Ingratus mihi Sol, ingrata Aurora rubeſcit:
Oblectans pectus tempora nulla meum.
Aſpice, iam Zephyri florent genialibus auris
Felices fœtus parturit almus ager.
Perſtrepit omne nemus cantu, virgulta ſuſurran
Liquitur è ſummis tabida bruma iugis.
In tepidos ſoles ſe roſcida gramina credunt:
Florea de verna pullulat arbor humo.
Sed mihi nequicquam fulgent Nepheleidos Helles
Sydera, ridentis gaudia ſumma poli.
Semper hyems nobis: ſanguis ſi vere tepenti
Aeſtuat, infelix in ſua damna furit:
Acrius & morbo fauces tentantur acuto;
Nam cl audit feruens arctius ora cruor.
Non rauca fontis ſcatebra per ſaxa cientis
Murmura, non poſſunt prata mouere animum.
Atque greges, atque arma nocent, atque ardua ſilua;
Non læti colles, paſcua nulla iuuant.

Et

Et doleo, pingui paſtos ſeu gramine vidi
Mollibus in pratis luxuriare greges.
Siue quis ediderat paſtoria ſibila canna,
Odi ſigna bona ſibila lætitiæ.
Et dulces auium per frondea tecta Camœnas
Heù viſæ tantum ſunt mea fata queri;
Seu viridi taurus proiectus mugit herba,
Dixi: mugitu me vocat ad gemitus.
Frumenta aſpexi verno turgentia lacte;
Arens tunc ſubijt, quæ premat oſſa, cutis.
Omnia læta mihi ſunt inſtrumenta doloris,
Materiamque mali mens ſibi dura parit.
Et meditor: tellus non hæc mihi verna colores
Submittit; rident prata benigna alijs.
Vos legite vngue roſas, Tyrio queis fulgurat oſtro
Quæ flagrat niueis gratia mixta genis.
Vos decet iſte color, vobis ſint lilia curæ:
Pratorum nitidum vos manet omne decus.
Ipſe legam flores veterum monimenta dolorum,
Et ferrugineis te, Hyacinthe, comis.
Pallentes carpam violas, mœſtaque cupreſſu,
Quæ laurum optarant, tempora vincta geram
Impulerat noſtras ſonitus ſi gurgitis aures,
Purior electro fons vbi volvit aquas;
Conſpiciens dixi non hæc mihi frigida currit
Sedatura grauem flumine lympha ſitim.
Ora quidem ſitiunt, quæ nunc incendia paſcunt,
Non pandit latici ſed gula preſſa viam.
O' nimium, nimiumque fugacis dona iuuenta!
O' quàm veloci laberis acta pede!
Tardius è Scythico cornu decuſſa ſagitta
Aera per liquidum cuſpide ſcindit iter.

I nunc ingentes laudato in corpore vires,
Atque lacertosos firma per ossa toros:
Aut illas ætas annorum pondere frangit;
Morborum aut ictu fortia membra cadunt.
Quique color malis Pæstana rosaria miscet,
Et quod natiuum lilia vincit ebur.
Marcescunt subitò, ceu cum labefacta caducum
Sole graui curuant alba ligustra caput.
Olim qualis eram! nunc me mea fallit imago,
Si iam præteritos mente reuoluo dies!
Cum diues gregibus, memini me Parma tenebat!
Nam puerum celso nutrit illa lare.
Quod mihi tunc robur, quam gaudia multa fuere!
In fesso nunquam corpore quanta salus!
Non me terruerant hyemes solesque potentes,
Et poteram pluuium vertice ferre Iouem.
Quos ego non colles, quos non indagine cinxi
Lucos, hortatus tesqua per alta canes!
Tunc celeres potui damas, tunc figere cernos:
Vidi de fluuijs humida lina trahi.
Et modò fortis equi luctantia collo recuruans
Confraga sectabar per iuga montis apros;
Interdùm molles pedibus plausisse choreas
Iuuerat, & digitis increpuisse lyra.
Cura fuit Martis simulacra ciere sub armis,
Et pugilum ludis implicuisse manus.
Gallica quid memorem quoties per flumina nauis
Aduersa obnixo pectore stagna seco?
Me Tarrus, gelido lauit me Nicæa fluctu:
Me Phaethontæo sustulit amne Padus.
Nec mihi solus amor corpus durare palæstra,
Sed mentem egregijs artibus excolui.

Vidit

Vidit Palladijs nos impalleſcere chartis
Inter laudatos nox vigilata libros.
Multaque Cecropijs trutinabar ſcripta magiſtris;
Non renuit mecum Græcia docta loqui.
Tentabam vmbroſi latebras penetrare Lycæi,
Quaſque alij monſtrant edidiciſſe vias.
Sæpè animum docti cœperunt ſcripta Platonis,
Cuius Mopſopio pagina melle fluit.
Et modò ſcrutabar Samij dictata ſilentis;
Nunc florem ex hortis legi, Epicure, tuis.
Inſomniſque graui fouit me Porticus vmbra,
Arceſilæus detinuitque labor.
Latratus decuit Cynicos audire legentem,
Nec me pacati terruit ira canis.
Democrito arriſi, noui præcepta Cleanthis,
Et Chryſippææ ſtamina mentis opus.
Gaudebam meditans, ineant quot prælia ſectæ
Graiorum in quas eſt dicta turba ſenum.
Materiem hic componit aquis, hic aere gignit;
Alter Apollinei ſyderis igne creat.
Ille Chao latuiſſe docet vaga ſemina rerum,
Omniaque arcanis nectit amicitijs.
Aeternum eſt alijs mundi verſatile templum,
Machinaque hæc nulla diſſoluenda die.
At natum ille refert, auſus reſtinguere ſolem,
Et dare perpetuæ fata diurna faci.
Sunt quoque rore leui, & nebulis qui ſydera paſcant,
Et qui non vno ſe putet orbe tegi.
Caſibus hic ſceptrum donat, Diuoſque regalat,
Exuit & mentes relligione Deum.
Spernit Tænarias, incendia poſtuma, pœnas
Impius hic; trepidans manibus ille lutat.

Nec deſunt ſenſus qui damnent, omnia faſſi
Neſciri, tenebras ſeque latere ſuas.
Omnia mirabar, ſed tunc plus arte mouebàr
Socratica, & ſcriptis, Stoica turba, tuis.
Quæ bona ſint animi, certus quis limes honeſti,
Quas ſibi diuitias vita beata petat,
Et didici, ſanctos formet quæ regula mores;
Aeſtus quæ valeat vincere vis animi:
Quæ triſtes iras virtus, quæ frangat amores,
Quæ deſideriis pectora anhela leuet;
Pallenteſque metus quæ fortibus induat armis
Ignauæ prohibens terga dediſſe fugæ.
Solum turpe malum ſapiens putat, ille dolores
Perfert, conſilij propoſitique tenax;
Hic pede proculcans lethalia fata ſuperbo,
Humanis maior creditur eſſe malis.
Aere Perillæo clauſus fera iuſſa Tyranni
Sperneret, & nullos ederet ore ſonos.
Hæc olim noui, quæ nunc me flagitat vſus:
Vtar præceptis, quæ mea fata petunt.
Agmina mœrentum circumſtant ſæua dolorum:
Aggreditur feſſi vincere corda timor.
Quid faciam? Vnde petam trepidi ſolatia luctus?
Quis bellaturo fortia tela dabit?
Ite procul queſtus, animi oblectamina vilis,
Ite procul: iam nos ingemuiſſe pudet.
Non lacrymis dirum nouit mauſueſcere fatum:
Parcarum inflexo fila adamante rigent.
Te ſupplex adeo ſupplex tua munera poſco,
O ſola humanis mors medicina malis!
Tu portus placido qui naufraga corpora mundi
Amplexu rurſus non agitanda foues?

Adſis,

Adſis horribileſque ferox huc flecte volatus,
Hoc pete Tartarea falce cruenta caput.
Quo moriture ruis? quæ te dementia cæpit!
Parce miſer verbis, ominibuſque malis.
Scilicet in prima florens carpere iuuenta?
Nec te ſpes famæ quantulacumque tenet?
O vbi meus ſtudijs quondam gauiſa Minerua,
Et quæ ſcribendi gloria dulcis erat?
Non adeò vſque mori miſerum eſt: non ſegnior ibo,
Ibo animis contra; mors miſerata veni.
Nec totus moriar, lethi cuſtodia noſtri,
Te penes Italiæ Ciampole, grande decus.
Carminibus celebrata tuis mea fama legetur,
Et ferar extinctus docta per ora virum.
Auſpice te mortis victor fata aſpera rumpam:
Te duce Auernali non cohibebor aqua.
Quæ tibi cantanti non eſt permiſſa poteſtas?
Nam tua Pindarico fulmine Muſa tonat.
Tuſci ſcriptores tenerorum cedite amorum:
Gaudet capta nouis Auſonis ora ſonis.
Aldobrandinam relegis ſi carmine villam,
En tibi feſta cohors plaudit Hamadryadum,
Siue Palæſtinas Piceno in littore ſedes
Concinis; Adriaci ſternitur vnda freti.
Et te Cælicolum cantantem exercitus audit,
Quorum humeris templum dulce pependit onus;
Proh pudor Italiæ, teneros quæ cantat amores,
Carminis & grato fraudat honore Deum!
Non tulit ingenti laudandus, Ciampolus, auſu
Illius eſt noſtris Muſa operata ſacris.
Gaude: namque nouis video tua tempora ſertis
Cingi, & Idumæa fronde nitere comas,

Tempus erit, lato tua cum veſtigia plauſu
Magnanimùm vatum turba ſecuta colet.
Tu modò perge alacer ſemperque audentior ito,
Nec tu coruorum roſtra inimica time.
Nam ſuper aſtra volans niueis vectabere cycnis,
Qua inuidiæ telis gloria claudit iter.
Nec minus heroi tangit te cura cothurni,
Et potes Aonia dicere bella chely.
Inclyta facta virum vocis ſi munere donas,
Munere tu ſignis das potiore frui.
Hoc tibi Pegaſides, hoc conteſſere ſorores,
Teque poteſtates edocuere ſuas.
Namque ferunt celſo Parnaſſi in vertice ſacrà
Bellorophontæus qua rigat arua liquor,
Seclusum florere nemus, quo gratius vllum
Non ſurgit Phœbo, Pieridumque choris.
Hos Zephyri campos, Etęſia flamina mulcent,
Arboribuſque frequens roſcida vernat humus.
Pullulat ante omnes ſed formoſiſſima laurus,
Quæ medio in luco conſpicienda viret.
Vna nemus trunco ingenti quæ parturit vmbra,
Et latè foliis celat opaca diem.
Huius odorato ſudantur balſama ligno,
Dulcis & ambroſiæ cortice manat odor.
Indictum refero: lacrymatas nectaris vndas
Excipit Aoniæ ſedula cura manus.
Hos Muſæ ſeruant latices queis perlita durat
Gloria Tanario non violanda lacu.
Materno nequicquam aſtu ſeruatus Achilles
Occidit, & Troiæ funera morte luit.
At bene Pieria per fuſus nectaris vndà
Martis equus rapidum trans Acherontà volat:

Copia

Copia felicis tibi, Ciampole, credita ſuccieſt:
Fac mea cœleſtis proluat ora liquor.
Ah ſocij fato miſerere cadentis acerbo!
Fer non caſurum nomen ad aſtra meum.
Triſtia ſic facili curabis funera ſumptu:
Non poſco in cineres Perſica dona meos.
Non mihi Orontæa tumulos aſpergite myrrha,
Buſtaque facundæ mercibus Aſſyriæ.
Si mea Caſtalio ſtillabunt oſſa liquore;
Inuida poſt mortis fata, ſuperſtes ero.

FINIS.

POESIE LIRICHE TOSCANE DI D. VIRGINIO CESARINI.

PROEMIO.

ARCIER di Delo, hoggi di lira imbelle
L'arco deponi, e gli amoroſi accenti:
Ricuſa il plettro mio d'occhi ridenti,
Idolatra d'Amor, cantar due ſtelle.

Già troppo Pindo vdì da flebil cetre
Il moribondo ſuon d'Aonij cigni:
E co' lauri mirò mirti Ciprigni
Al fier Cupido incoronar faretre.

Prendi, ò ſaettator, l'arco ſonante,
A Pelopei Guerrieri arco fatale,
Di cui ſentio Piton l'ira mortale,
Quando Cirra infeſtò ſerpe volante.

Tartarei Moſtri à debellar ti chiamo,
Per riportare al Ciel ſacro troſeo:
Che ſe manſuefè le fere Orfeo,
Riſchi maggiori io ſoggiogar quì bramo.

E voi, Coro Febeo, Vergini Diue,
Lasciando il rezzo de' Castalij monti,
E i lieti mormorij de' dotti fonti,
Meco venite à più famose riue.

Ecc'io primier con venerando esempio
Vi conduco al Liceo per via canora:
E della Stoa felice, oue s'adora
Virtù Reina, io fermerouui al tempio.

Ma doue hora m'inalzo, e sù quai piume
Trattando l'aure lieui io sciolgo il volo?
Calco le nubi, e sù l'Empireo polo
Di prudenza diuina ammiro il Nume.

Bella Diua immortal, Deh meco scendi
Sù l'ali d'or trionfatrice inuitta;
Mostra alla Terra hoggi da vitij afflitta,
L'ineffabili glorie, in cui risplendi.

Già veggio al carro d'aurei rai splendente,
De gli Appetiti i corridor frenati,
E i Vitij, che regnaro, lincatenati
Dietro le rote tue pompa dolente.

Vien la Superbia doma, & à se morde
L'Astio crudel le sanguinose labbia:
Tra lacci adamantini vrla la Rabbia:
Freme de' van Desij lo stuol discorde.

Squallido il Lusso appare: egri gli Amori
Vengon senz'archi, e con lor faci estinte:

Scor-

Scorgo in acciar l'auare voglie auuinte,
E con l'ali tarpate i rei Timori.

Applaudi, Italia, al gran trofeo del Cielo,
E le sue glorie in queste carte ammira:
Sacerdote Febeo sù casta lira
L'immortali vittorie io ti riuelo.



Che la Filoſofia è la vera medicina dell'anima.

GIA' ſu'l Pelio frondoſo in antro alpeſtro
Viſſe il dotto Chiron, fera celeſte,
Ch'i morbi diſarmar d'armi funeſte
Sapeà, d'herbe Febee nobil maeſtro:

Egli ammorzò di velenoſa febre
Speſſo co' ſuoi licor la vampa ardente:
E con Peonio ſuon, d'alma fuggente
Ritenne il lieue volo in ſen funebre.

Se per colpi d'acciar Guerrier languia,
O per fragor di fulminati ſaſſi;
Alla ſpelonca ſua volgeua i paſſi,
E con lieta ſalute indi partia.

Tal del Centauro Eroe narraci il vanto
I ſuoi pregi in cantar Grecia pompoſa:
Mà non paia mia Muſa hoggi faſtoſa,
Se viè maggior valor dona al mio canto.

Co-

Comun pregio è il ſanar fragili membri;
A molti il Cielo hor tal virtù comparte:
Mà chi di ſanar l'alme egre sà l'arte,
Vero Eroe con ragion quì ne raſſembri.

Quind'io vago di gloria à Febo chieſi
Per medicina tale herbe fatali:
Et ei dettommi vn dì note immortali,
Ond'io freno nell'alme i morbi acceſi.

Voi nel letargo de' piacer ſommerſe
Per frenetico ſdegno, e voi frementi
D'auara hidropiſia gonfiate menti,
Voi, cui del ſuo velen Cupido aſperſe.

Chi trà folli deſij l'alma hà non ſana;
Chi nel lacero ſen cela ferite;
Meco à gl'antri di Clio tutti venite,
Ch'iui d'ogni dolore vn cor ſi ſana.

Io miniſtro d'Apollo in puri carmi
All'interno languir darò rimedio,
Eſciogliendo de' vitij il lungo aſſedio,
Rintuzzate del Duol vedrete l'armi.

Ecco di Pindo nel Caſtalio argento
Trè volte immergo, e trè l'anime inferme:
E con medica man tronco ogni germe
Di peſte ria, che v'arrecò tormento.

AL SIGNOR

FRANCESCO CANALI.

Solo il ſaggio ſaper amare.

CANALI, il vulgo in cieche nubi inuolto,
Hoggi d'Amore il ſacro nome infama.
Tù nō chiamare amāte vn cor che brama
Tener le gratie d'vn fiorito volto.

E pace il vero amor: ſenza furore
Tranquilla l'alme; e non tempeſta apporta.
Alla luce del Cielo egli n'è ſcorta.
E lungi và dà lui meſto dolore.

Miſero amante di mortal bellezza
Sempre à dolerſi, e à ſoſpirar aſtretto,
Compra con mille pene vn vil diletto:
Proua miſta d'aſſentio ogni dolcezza.

Nè ſol focoſo ardor l'alma gli accende
Trafitta, e ſpenta da vipereo ſtrale;
Mà della geloſia ghiaccio mortale,
Per dargli morte, al freddo cor gli ſcende.

Cor-

Corporea luce in vn bel viſo ardente
Con falſa ſpeme ſeco vnir deſia:
Mà non ſpegne giammai la ſete ria
Chi dell'imago ſol paſce la mente.

Così non queta in noi l'ingorda fame
Prodigo ſonno, che viuande offriſce;
Mà deſto dall'error cibi appetiſce
Quei che dormendo ſatollò ſue brame.

Il volto ſol di sè volante imago
Traſmette in alimento à vn core amante.
Non fù ſolo in amar Narciſo errante
Ciaſcun ſol d'ombre, e ſimolacri è vago.

Quindi perpetuo duol, meſte querele,
Mortal pallore in lagrimoſa faccia
Porta l'amante: ò inceneriſce, ò agghiaccia
Auanti a'rai dell'Idol ſuo crudele.

Nè quì ſi ferma la sfrenata vampa:
Talor trabocca in odio, in ira, in ſangue.
Per rapita beltà fù Troia eſangue;
Et arſe le ſue torri Argiua lampa.

Venere queſto amor fiera produſſe
Nata dal ſangue fra Nettunnie ſpume:
La crudeltà del mar moſtra il ſuo Nume:
Miſero chi al ſuo giogo ella conduſſe!

Felice ſolo, e vero amante è il Saggio,
Che l'immortal beltà dell'alme chiede:

Fruiſce il ben, che con la mente ei vede,
Dalla Diuinità trasfuſo raggio.

Il bel, ch'ei prezza è vn'infinito bene,
Che ſcaccia fuor del ſen geloſe voglie:
Da neſſun de riuali altrui ſi toglie;
E non diuiſo da ciaſcun s'ottiene.

Saggio amator prender diletto ſuole,
Ch'il ben, ch'ammira, ſi diffonda altrui:
Inuita à poſſedere i raggi ſui;
Chi temeria ſcemar la luce al Sole?

Queſt'è l'ardor, che negli Empirei Regni
Le belliſſime menti inſieme annoda;
Queſto cred'io, che nel gran Dio ſi goda,
Da quei, che ſe di contemplar fè degni.

O tenebroſi rai d'occhio volgare!
O di vani amatori oſcura luce!
Santo Amor, morto à voi, nouo Polluce;
Guida e di vita nell'ondoſo mare.

Quindi ſarai, Canal, ſegno à miei verſi;
Per cui profano Amor non ha più lacci:
Tù col puro penſier quel bene abbracci,
Che tiene in vero gaudio i cori immerſi.

Tù ſtando di Ragion ſu'l colle Ideo
Della vera beltà giudice eletto,
Paride ſaggio, con purgato affetto
A Palla di beltà deſti il troſeo.

Mira-

Mirasti il vero ben con luce interna;
Onde in te più ch'amore, amistà vale.
Il corpo oggetto hà la beltà, ch'è frale.
L'alma per segno hà la Virtù, ch'eterna:



AL PADRE
D. ANGELO GRILLO.

APOLLO vn dì vinto dal patrio affetto
Diede à guidar sù per lo Ciel lucente
Al temerario Figlio il Carro ardente,
Che del rischio fatale hauea diletto.

I Corridor volanti il mar lasciaro.
Sbuffando dalle nari ardori, e lampi:
E seminati d'or gli aerei campi
All'immortal Magion ratti s'alzaro.

Mà conoscendo al più leggiero pondo
Frenar il corso lor nouello auriga,
Con non vsato vol l'aurea quadriga
Souerchio alzaro à conturbare il mondo.

Arser le stelle allor di troppo lume;
Le gelid'Orse hebbero fiamme ignote;
Affrettò'l Carro per suggir Boote;
E del vietato mar bramò le spume.

Il mi-

Il misero Garzon quando rimira
Lo stellato sentier pien di perigli,
E di fere Celeste i curui artigli
Mesto del troppo ardir geme, e sospira.

Guarda, e desira hor hor la Terra in vano,
Nè misurar può'l precipitio immenso:
Gli occhi abbagliati allor perdero il senso
E le briglie obliò fredda la mano.

Liberi i gran Destrier per l'alto Cielo
Portano il giorno oltre le vie dell'anno:
Di quà, di là caldi, anelanti vanno
Ai cerchi condannati in pigro gelo.

Mirò con istupore i rai fraterni
Sotto le rote sue correr la Luna:
L'arsiccie terre aprì fiamma importuna;
E pauentaro il Sole i Numi Inferni.

Mostra scemato il mare isole nuone:
Stridon l'ardenti biade: il bosco scoppia:
Etna a' suoi fochi noue fiamme addoppia;
E da' gioghi Timaui il giel si moue.

La vampa inceneri l'ombre di Cirra:
Il già diletto al Sole arse Hippocrene:
S'occultò il Nil nell'Etiope arene;
Et il Mondo bramò l'acque di Pirra.

Già da gli omeri suoi minaccia Atlante
Gettar del Mondo la rouente mole:

Furi-

Furibondo ogni Dio rampogna il Sole;
E s'arma di terror Gioue tonante.

Quindi lo ſtral d'infaticabil ali
Vibrò ſaettatore, opra di Bronte;
E del Carro non ſuo ſpogliò Fetonte,
Del folle ardire eſempio à noi mortali.

Ah ſe de' Senſi al giouenil furore
Talor lo ſcetro la Ragion concede,
E ſe il Piacere à gouernar riſiede
Nel troni di noſtra Mente ebro Signore.

Quai fian tumulti in noi, qual fiamma atroce
Di van Deſij s'accenderà in vn ſeno?
Gl'Affetti ingordi, calpeſtato il freno,
Di quà, di là trarran l'alma veloce.

Ch'al fin tra rai d'impuro foco ardendo
Segno infelice fia d'vn falſo ſguardo
E fulminata d'amoroſo dardo
In lagrimoſo Rio cadrà morendo.

Angelo, tù ch'alla Ragion l'impero
De' Senſi tuoi trionfatore hai dato,
Ti conduceſti per ſentier beato
Con affetti pietoſi al gaudio vero.

AL SIGNOR

OTTAVIANO VESTRI.

La meraviglia esser Madre dell'Ambitione.

SE con cieco stupor la mente ammira
Di caduca fortuna il fragil bene:
Nel torbido pensier mordaci pene
Haurà, mentre à bearsi indarno aspira.

Seguace à merauiglia è gran desio;
E chi brama, à temer sempre è costretto.
Lunge felicità, lunge è dal petto,
Oue puote albergar mostro sì rio.

Di marmorei palazzi arco dorato,
Sù cui splender veggiam pitture illustri,
Per Argiuo scarpel le statue industri,
Non fan l'humano cuor viuer beato.

Del saggio à gli occhi non hà gemma il mare;
E vil d'Arabe conche ogni splendore;
Per lui non hà l'ambra Etiopa odore;
Ne sà quai merci à comprator sian care.

Egli

Egli per adornare horti pompoſi
Non farà traſportar nuoui arboſcelli,
Nè con legge farà correr ruſcelli:
Mà pace trouerà frà campi herboſi:

Sà, che falſa credenza i prezzi finge:
Et hà dal volgo vil parer diuerſo:
Sà, che nel ſangue popolare immerſo
L'oſtro de' Rè di crudeltà ſi tinge.

Se nel ſen del Tiranno egli penetra;
Là ſcorge di Penſier miſera ſchiera,
Da' quali per goder gioia ſincera,
Vn momento di tregua ei non impetra:

L'interna pace, e d'vn oſcura vita
La nobil calma à grandi honor prepone:
E ſe offuſcano altrui rai di corone;
A lui la pouertà dolce è gradita.

Ben regge del ſuo cuor l'immenſo Regno,
A cui termin non ſon terre, ne mari.
Dà giuſte leggi a' deſiderij auari;
E del teatro di sè ſteſſo e degno.

O di quai gemme ei ſi circonda il crine!
L'immortali Virtù fangli ghirlanda:
Queſti a' Regi volgari India non manda,
Ne'l Sol d'Arabia n'arricchì marine.

Veſtri, dall'alma ogni ſtupor diſgombra:
Ah'ch'occulto veleno e Meraviglia.

Con-

Contro à fortuna immote habbi le ciglia:
Credi gli applausi humani instabil ombra.

Troppo il gran Tebro hoggi le turbe alletta
Scintillando d'honor purpurea luce:
Se col torrente suo giu ti conduce,
Di poter piu godere indarno aspetta.

Le tue ricchezze in bel riposo godi;
Ch'anco l'otio trouar saggia è fatica.
E se t'assalirà cura nemica,
Tù con prudenza schernirai sue frodi.

Hor leggendo di Roma i dotti annali,
D'incliti detti prenderai tesoro:
Hor dell'arpa scotendo i fili d'oro,
La memoria sopir potrai de' mali.

AL SIGNOR

FERRANTE CESARINI

SVO FRATELLO.

Douersi fuggire i piaceri del Senso.

SPENTO de' venti il procelloso ſdegno,
Quaſi limpido ſpecchio il mar lucea,
E ſol de' remi col vigor fendea
Vliſſe di Nettun l'infeſto regno.

Quando più di tempeſte, e del mar crude
S'offriro à lui, per arreſtar ſua prora,
Le Sirene, del mar peſte canora,
Di canti armate, natatrici ignude.

Poiche allo ſguardo ſuo trà chiari argenti
Diſcoperſero i rai di lor beltate;
Fero del petto vſcir tai voci alate,
Volgendo al gran nocchier gli occhi ridenti.

Eceo,

Ecco, ò nobil Campion, ch'al fin ti lice
Posa trouar del tuo molesto errore:
O dell'Asia terror, d'Europa honore,
Quì destinata è à te sede felice.

L'Isola, che quì miri e porto ameno,
Oue d'ogni dolor viue il ristoro;
Delle Letitie, e Gratie alberga il Coro,
E con Tranquillità l'Otio sereno.

Troppo già soura te Virtù crudele,
Troppo, Signore, esercitò gl'imperi:
Hor chiamanti à regnar dolci Piaceri:
Deh non t'alletti più l'onda infedele.

Già con l'humor di tue ferite aspersi
Crescerti i lauri al crin vide Scamandro;
E per lo tuo valor pianse Alessandro
All'infausta rapina i fati auuersi.

Vana follia comprar guerrieri allori
Del sangue à prezzo trà perigli, e morti;
Oue, ò fallace Honor, gl'animi esorti
Sotto grauosi acciai versar sudori!

Sogno e la Gloria alfin d'alme vegghianti.
Che giouan de' sepolcri i nomi egregi,
Se'l cener morto non ne vide i pregi,
Che poi sanno rapir gli anni volanti?

Godete nella vita: vnico il fuso
Sù cui, Mortali, à voi filansi i giorni,

Disperi riuedere i Soli adorni
Chi di Pluton trà i negri chiostri è chiuso?

Perche ribelli da natura osate
Cercar affanni, & ischiuar diletti?
Vdite, ch'ella grida entro de' petti,
Ch'i sensi frali d'appagar cerchiate!

Volgi la prora, e in questi lidi getta
L'ancore fortunate, Eroe gradito:
Della felicitate odi l'inuito,
Che trà dolci delitie hoggi t'aspetta.

Quì ride eterno April: l'arsura, e'l gelo
Tempran con ferma legge Euri odorati.
Zefiro agricoltor de' nostri prati
Quì con ali di fior trascorre il cielo.

Quì pioue il mel da' tronchi: il puro latte
Con lieto mormorio corre pè'i riui:
Sempre fecondi i non potati oliui
Sono, e le piagge dall'aratro intatte.

D'ammirabil beltà Ninfe vezzose
Scorgerai quì danzar frà risi, e giochi;
E saran pronte à mitigar tuoi fochi
In aurei letti, ò per le selue ombrose.

Fian di lusso regal ricche tue cene,
In cui trà rose splenderà Lieo:
Stillerà dal tuo crin nembo Sabeo,
E cantatrici tue fian le Sirene.

Così

Così la schiera insidiosa disse;
Per mollir dell'Eroe l'alma feroce
Et vbbidiua all'inganneuol voce,
Se non era frà lacci inuolto Vlisse.

Ferrante, se nel mar di vita ondoso
All'arbor di prudenza il corpo annodi;
Vincerai del piacer le dolci frodi,
E in Itaca beata haurai riposo.

AL SIGNOR

GIO. BATTISTA STROZZO.

Le ricchezze esser d'impedimento alla felicità.

Più veloce di ſtral, ch'all'aure auuenti
Arcier famoſo trà Meonij Regni,
Rapido più de gli sfrenati ſdegni,
Con cui turbano il mar gli Eolij venti.

Atalanta correa, fiamma de' cori,
Così gli amanti ſuoi ſchernia deluſi,
Che dalle nozze à lei vietate eſcluſi
Condannaua di morte à i crudi horrori.

Ella volar sù per le ſpiche bionde,
Senza curuar le cime, hauria potuto;
E traſcorendo l'Ocean canuto
Non hauria immerſo il ſecco piè nell'onde.

Le

Le nude membra di coſtei nel corſo
Hippomene mirò coll'alma acceſa;
Mà perche teme l'ineguale impreſa
Nel riſchio à Citerea chiede ſoccorſo.

Venne la Diua à conſolar l'Amante;
E colte in Cipro le diè poma d'oro,
Dicendo: ſpargerai queſto teſoro,
Che fia dimora alla beltà volante.

Vennesi al corſo; ecco Atalanta auanza:
Quegli vn de' pomi aurati allora auuenta:
Ella à mirarlo, & à raccorlo intenta
Fece alla fuga ſua qualche tardanza.

Trapaſſa l'amatore; e qual'hor vede
Volar prima di ſe la corritrice;
L'oro volubil con la man felice
Torna à gettar, e porle auanti il piede.

Così mentr'ella dal metallo ardente
Corre con troppa cura à farſi lieta;
Primier ſi traſſe alla bramata meta
Sgombro d'incarco l'amator feruente.

Per lo ſtadio ciaſcun dell'egra vita
Alla felicitate affretta i paſſi;
Mà chi l'oro in raccor ſtupido ſtaſſi,
Per conſeguire il ſegno in van s'aita.

L'oro graue Ariſtippo in Libia getta
Per ſeguir più ſpedito il ſuo camino:

Naue assalita dal furor marino
Sparge all'amaro Dio la merce eletta.

Strozzi son le ricchezze inutil soma,
Ch'alla tranquillità chiude la via:
Tu sei felice, che nell'alma pia
Hai di tesor la cupidigia doma.



AL SIGNOR

CARD. CHERARDI.

Gli ſtolti nella vita prouar le pene dell'Inferno.

NON morti ancora entro à funerei petti
D'Acheronte il flagel prouan gli ſtolti:
Sà tormentar Megera i non ſepolti:
E ſon Plutoni in noi gl'interni affetti.

Trà fieri ardor di Flegetonte ardenti
Si raccolgono ogn'hor l'anime amanti:
Stanno in Cocito di perpetui pianti;
Hor han dal foco, hora dal giel tormenti.

O di quali Auuoltoi ſchiera ſi paſce
Con morſi rei ne gli amoroſi cuori!
E per fare immortali i lor dolori
La ſpeme che perì, toſto rinaſce.

Ecco frà rai d'accumulato argento
L'Auaro per sè ſteſſo impouerisce:

Così molesta sete ogn'hor patisce
Tantalo à ber nelle chiar'onde intento.

Miriam, com'altri nell'alpestre via
D'ambitioso honor sempre s'affretta:
Chiede le mitre, e gli ori; e pur aspetta
Rifiutato ottener quel ch'ei desia.

Sisifo e questi, che del monte alpino
Conduce al giogo il fauoloso sasso;
E quando all'erta cima ei giunge lasso,
Precipitosa vien la selce al chino.

Quanti Ission trà le gireuol rote
Volue Fortuna, & hor'abbassa, hor alza;
Vano timor, di ruinosa balza
A molte teste e l'imminente cote.

De' torbidi desir le cure immense
Vietano altrui goder beni giocondi:
Dell'Arpie sono questi i rostri immondi,
Che de' dolci piacer turban le mense.

Alfin d'insano cuor frà le cauerne
Cerbero infesto Coscienza rugge,
E quei ruggiti in van la mente fugge,
Che suo mal grado l'error suo discerne.

Sol gode vn saggio cuor gli Elisij campi,
E bee de' mali i fortunati oblij,
Hà pace trionfal co' suoi desij,
E di felicità splende frà i lampi.

Che

Gherardo il ſai, che nel tranquillo ſeno
Frutto di tua virtù godi la pace:
Quindi fortuna al tuo voler ſoggiace,
Ed ogni dì per te ſorge ſereno.

L'Huomo ſaggio eſſer perpetuamente lieto.

VIRTV' di vero gaudio è lieto fonte,
Che di triſtitia il volgo vil condanna:
A gara gode chi per lei s'affanna;
Ed hà contro'l dolore immobil fronte.

Prepara à te di tal letitia il dono
Tua dotta mente dal piacer ſottratta,
Ch'induſtrioſe arti palladie tratta,
Mà pieni di timor gli ſtolti ſono.

Naſce allegrezza in lor da falſo bene,
Che della Sorte dà la cieca mano:
Mà per caduco dono il gaudio è vano,
Che perdendoſi poſcia arrecca pene.

Inſeparabil ben ſolo è Virtude,
E per arbitrio altrui non mai ſi perde:
D'vn ſaggio cuor ſempre l'alloro è verde;
Ne ſon ſue tempie di ghirlande ignude.

Ride ſe'l Parto à depredar là venne
Con fier Turcaſſi di ſaette armati:
Ne del Settentrion ſu pini alati
Note all'Iſole Eoe teme l'antenne.

Armi pur contra lui l'India odoroſa
Di torri, e di guerrier carchi Elefanti;
Guidi Tartaro Re prouincie erranti:
Inuolto in ſua virtude egli ripoſa.

Toglier ricchezze, ed oſcurar gl'honori,
Ponno con ferità ſommi Monarchi:
Mà ſterpar la Virtù da gli Anaſarchi
Non può d'vn Rege il micidial furore.

Benche ſugo mortal di ria cicuta
Le membra mie di freddo gelo annode;
D'hauermi offeſo in van Melito gode;
Che generoſo cuor morte non muta.

Socrate ſi diceua; e con ſerena
Fronte vicino il fato à ſe ſcorgeua:
E mentr'ogn'altro il ſuo morir temeua,
Feſſi conſolator dell'altrui pena.

Sublime Olimpo è ſenza nube il Saggio,
Che i tuoni calca, e le procelle horrende:
Eterno Sol nel petto ſuo riſplende,
Il cui ſeren non hà da i fati oltraggio.

AL SIG. CARD.

MAFFEO BARBERINI,

Che fù poi Vrbano Ottauo,

L'huomo ſaggio eſſer immutabile.

Intrepido valor, ch'arma il tuo petto,
E ti dà nell'oprar ſalda fermezza,
Frà gl'altri pregi tuoi da me s'apprezza
Per vero inditio di prudente affetto.

Mira, Signor, come à cangiar deſiri
Corran veloci ogn'hor le ſtolte menti:
Come imitino il ciel l'alme prudenti,
Che ſtabil è ne' ſuoi perpetui giri.

I fiumi giunti al mar fermano il corſo:
Sol ſuor del centro loro han moto i ſaſſi:
Immobil nel ſuo ſcopo il dardo ſtaſſi:
Riposa vn cuor, ch'alla Virtute è corſo,

Delo

Delo agitossi già nel mare ondoso;
Quando in lei nacque il Sol, tosto fermossi:
Oue il Sol di Virtù nasce, là puossi
Nel procelloso mar trouar riposo.

E' tenebrosa notte humana vita,
Le cui dobbiam viuendo ombre varcare:
Rai di prudenza sol queste fan chiare:
Perde il sentier chi non hà tale aita.

Dal pentimento, e dal desio confuso
Con ambiguo voler nuota lo stolto;
Hor in fatiche, hora nell'otio inuolto;
Hor troppo auaro, hor in donar profuso.

Le ville hor fuor d'ogni rumor ei loda,
E fatio fugge le Città pompose;
Mà tosto, che frà boschi ei si nascose,
Pargli, che sol nelle Città si goda.

Di templi eccelsi, e di palazzi, & archi
Getta gran fondamenti, e mura estolle:
Mà poi venendo il pentimento folle,
Squallidi lascia i ruinosi incarchi.

Vuol la mensa frugal, poiche languisce
Di portentose cene il ventre stracco:
Indi torna à tuffarsi in cibo, in Bacco,
E per crapula infame impallidisce.

Talor bestemmia il Ciel, quasi non regni
Iddio tonante; e la pietà deride?

Po-

Poscia offrir voti in frà gl'altar si vide,
Placar credendo i meritati sdegni.

Felice è quei, ch'adamantina luce
Veste Campion della paterna Fede;
E di gran palme trionfale herede
Alla patria magion trofei conduce.

Così ragiona, e di ferrato vsbergo
Cinto ne viene à gli attendati campi!
Mà vide à pena di bombarde i lampi,
Che pentito rivolge all'armi il tergo.

L'intricato desio seco contrasta;
E s'vccidon frà loro i suoi pensieri:
Tali già Cadmo seminò Guerrieri,
Ch'in fraterna tenzon macchiaron l'hasta.

Hor casto, hor molle, onde partì, là viene:
Gli studi abborre; indi esser dotto brama:
Odia ciò, ch'adorò; ciò ch'odiò, ama.
Quali vn tal Proteo stringeran catene?

Vera Prudenza è indissolubil laccio,
Che frena il Proteo del Desio vagante.
Io tai legami hoggi dal volgo errante
Tratto in disparte, ò gran Maffeo, procaccio.

AL SIGNOR

CAV. STIGLIANI.

I precetti morali contenersi ne' versi de' Poeti.

STIGLIAN publica voce hoggi condanna
L'arti di Febo; e di stoltitia accusa
Chiũque in compagnia d'inclita Musa
Sour'Elicona di salir s'affanna.

Ne forse à torto il suon di Tosche lire
Biasmano i Saggi à impure fiamme ancelle,
Che sol d'vn volto l'adorate Stelle,
E lodano d'Amor gli scherzi, e l'ire.

Rari Cantori alle sanguigne palme
De' Martiali Eroi donano i canti.
Quanti d'alta Virtù furono amanti;
Di cui i preme l'oblio l'intrepid'alme!

Mà non tenti perciò viperea lingua
Sparger di vile infamia i sacri studi:

Pinde

Pindo sà fabricar quadrella, e scudi,
Per cui de' vitij ogni furor s'estingua.

Fede ne faccia il Ferrarese ingegno,
Che col Cigno di Smirna vnì le voci;
Mentre cantò de gli Africani atroci
Contra il Re Carlo il bellicoso sdegno.

Oh di nobil virtù sù quai precetti
Distillò il mel de gl'Eliconij versi!
Non di prudenza egual furono aspersi
Di Crisippo, e Zenon gl'antichi detti.

Di giouinil desio le brame ardenti
Come soglia seguir fine infelice;
Il Rè Agramante in Lippadusa il dice
Quando morde morendo il suol co' denti.

La Prudenza immortal viue in Sobrino:
Che dian l'auuersità saggio consiglio,
Ruggier l'insegna nel marin periglio,
Cui del porto il naufragio apre il camino.

Se lo sfrenato corridor Volante
Pria lo conduste all'amorosa Alcina;
Dell'appetito irrational, ch'inchina
A giocondi piacer, mostra il sembiante.

Ecco i pregi non suoi gode Martano;
E l'inuitto Grifon riceue oltraggio;
Ciò mostra ch'in premiare vn Re non saggio
Spesso à gl'indegni è donatore insano.

D'Amo-

D'Amore à i colpi il non fatato Orlando
Languiſce, acceſo da fulminei rai
Dell'Angelico Sol nato in Catai;
E và pe' campi furibondo errando.

Tal de gli amanti è la focoſa arſura:
Nè ſanar può quel tormentoſo ardore,
Se lo ſmarrito ſenno in folle errore
Di racquiſtar dal Ciel non ſi procura.

Conoſcerai, ch'ageuolar l'impreſe
Puote il Silentio; e ch'ogn'Imperio atterra
La Diſcordia che s'arma in ciuil guerra,
Quale nel campo Saracin s'acceſe.

Ne' lacci ſuoi Caligorante inuolto
Eſempio è à noi dell'abborrir la fraude:
Mentre di Carlo alla pietà s'applaude,
Qual'arti ſian d'vn vero Rege aſcolto.

Mirate Aſtolfo, che i Guerrier più forti
Abbatte vincitor con l'haſta d'oro:
Imparate quai fulmini hà il teſoro,
E quai tempeſte a le noſtr'alme apporti.

Al fin quanti la Stoa, quanti il Liceo
Oracoli riſpoſe, egli rinchiude:
E de i Vitij domati alla Virtude.
Opimo inſegna riportar trofeo.

